SYNODUS DIOECESANA PISANA, QUAM FRANCISCUS BONCIANUS...

Diocesi di Pisa, Francesco Bonciani

SYNODVS DIOECESANA PISANA,

QVAM FRANCISCVS BONCIANVS ARCHIEPISCOPVS PISANVS,
Insularum Corsicæ, & Sardiniæ Primas, & in eis Legatus natus habuit Anno a Christi Incarnatione
1616.



PISIS, Apud Ioannem Fontanum 1616.
Superiorum Permissu.

FRANCISCVS BONCIANVS.

ARCHIEPISCOPVS PISANVS.

Insularum Corsicæ, & Sardiniæ Primas, & in eis Legatus natus

Venerabilibus Fratribus Canonicis Pisanæ Ecclesiæ, eiusdemq; Diœcesis Parochis, cæterisq; Clericis S.

Oportet nos omnes, qui in sortem Domini vocati sumus, non solùm animarum nostrarū saluti consulere, sed cęteris etiam Christi fidelibus verbi doctrina, & operum exemplo iter æternę vitę pręire. Hoc etenim est munus nostrum, id nostri ordinis dignitas, & eminentia requirit. Quamuis autem in vinea Domini, ad cuius cultum vocatus est cum Clericali ordini nomen dedit, vnusquisq; laborare debeat, illi tamen pręcipue omne studium impendere debent, quibus magni illius patrisfamilias prouidentia Dominicarum ouiū cura demandata est, quorum periculo stant,& cadunt, de quorum manibus sanguinem earū se requisiturū Dominus comminatur. Ad earum itaq; profectum enixe inuigilandum est; nec enim dormitare debet,qui populum Domi

 ni

CONSTITVTIONES ET DECRETA

Edita in Synodo Diœcesana PISANA.

De fidei professione, & de illis, qui eam facere tenentur. Tit. I.

QVoniam fides, a. sine qua impossibile est placere Deo, est b. principium vitæ, & c. humana salutis initium: ideo ab ea exordium sumere placuit, vt non solum in hoc scuto omnia nequissimi hostis ignea tela extinguãtur, sed nos etiam per fidem vincamus regna, operemur iustitiam, & adipiscamur re promissiones. Quam ob rem post catholicæ fidei professionem, quam verbis, atq; ore vnà cum firmo mentis assensu ad formulã d. Pij IV. publice omnes emiserunt, qui in hoc conuentu interesse debent; decretis Sacrosancti Concilij e. Tridentini, & f. Constitutionibus, g. declarationibusq; Summorum Pontificum inhærendo decernitur:

a. Hebr. 11. b. S. Ignatius c. S. August. Serm. 38. de temp. d. In Bulla super Forma iuramẽti professi. fidei. e. Sess. 24. c. 12. & Sess. 25. c. 2. de Refor. f. Pij IV. incip. In Sacrosanta. g. Greg. XIII ex sẽt. Sacræ Congregat. Concil. an. 1577. Non. April. h. Bulla Pij IV.

Vt in posterum, seruata eadem h. formula iuramenti, in manibus Illustriss. ac Reuerendiss. Archiepiscopi, vel illius Vicarij Generalis publicam orthodoxæ fidei faciant professionem

Prouisi videlicet de beneficijs quibuscunq; curam animarum habentibus ad minus intra duos menses à die adeptæ possessionis.

Asciti etiam ad Dignitates, & Canonicatus in Ecclesia Metropolitana: qui præterea, sicut & illi qui Parochiales Ecclesias obtinuerint, quarum collatio ad Capitulum pertinet, in eodem Capitulo fidem eadem ratione profiteantur.

Confessarij insuper omnes, & verbi Dei concionatores; qui nẽ Sacram Theologiam, Ius Canonicum, aut Ciuile, nec non artem Medicam, Philosophiam, aut quascunq. artes ingenuas, seu literarias, etiam Arithmeticam, Grammaticam, & Musicam quo-

uis

uis modo, vel nomine publice, aut priuatim domi suæ, vel aliena docebunt: Medici insuper, & Chirurgi artem exercentes, antequam ad confitendum, ad concionandum, legendum, docendum, medendum aggrediantur.

Rectores quoq; Prorectores, aut alio quouis modo publici Gymnaeij superiores, vel Cancellarij; nec non ad doctorales, seu magistrales gradus promouendi priusquã illud munus suscipiant, & prastent.

Ee eandem Bibliopolæ, & Typographi omnes; aut si qui alij de iure, vel consuetudine eam facere tenentur.

Quam si quis emittere vel renuerit, vel neglexerit, pœnam à dictis Decretis, Constitutionibus, & Declarationibus constitutã quisq; suam non effugiat. Vbi vero nulla est irrogata pœna, ibi Ordinarij arbitrio relicta intelligatur.

Verum quia non deerunt forasse ex publice, aut priuatim docentibus, vel eas artes exercentibus, qui fidei professionem corã Ordinario in hac ipsa Vrbe, & Diœcesi non fecerint: ideo Vir religione claras, qui Pisani Gymnasij rebus à Magno, & Religiosissimo Duce præfectus est, pie, benigneq; curabit, vt, siqui tales ibi sint, fidem intra duos menses profiteantur. Reliquos verò monere, vt idem faciant, pertineat ad Parochos. Quibus illud insuper oneris iniunctum sit, vt saltē bis in anno, dum sacra faciunt, hanc obligationem publice omnibus reuocent in memoriam.

Professio autem à Notario in publicum instrumentum redigatur & in librum ad eiusmodi vsum comparatum referatur.

Liber deinceps in Archiuio diligenter custodiatur.

Tit. II.
De Doctrina Christiana.

HAc fide quidem certe alitur animus, vt pabulo corpus. Nam ex D. a. Chrysostomo quod corpori est cibus, hoc
a. Contra Anomæos. *animæ est diuinorum eloquiorum doctrina; & ex b. Euangelio*
b. Matt. 4. *habetur, hominē non in solo pane viuere, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Attamen vt idem cibus quantumuis bonus*
c. D. Greg. lib. Moral. 30. *omnibus nõ prodest, cum c. panis, qui vitam fortium roborat, paruulorum necet: ita, etsi multa ad fidem pertinent, non eadem tamen omnibus proponenda sunt: quippe alij, tanquam paruuli*

eius

ctus lacte, alij vt perfectiores solidiori cibo opus habent.

Paruulis itaq; , hoc est rudioribus tum uiris, tum mulieribus, nec non & prima puerorum ætati, cuius cura, ratioq; magna habenda est, vt quæ vestibulum quodammodo, & tyrocinium vitæ sit, totamq; annorum consequentiam quasi formam, & ædificationem præseferat; commode prouisum erit, si per breui illa ac simplici catechesi instituantur, quam postremo loco confecit Illustriss. & Reuerendiss. Cardinalis Bellarminus in libello, qui Doctrina Christiana valgo inscribitur. Quare hæc vna in posterum omnibus ad discendum proponatur.

Cum verò in hac ipsa Ciuitate tot iam constituta sint huius doctrinæ Scholæ, quot ad omnem puerilem ætatem rite informandam sufficere posse non ab re censentur: ideo cuiusq; Pastoris hac in parte munus erit, nisi sæpius, saltem singulis mensibus inter Missæ celebrationem parentes, aliosq; hortari ad filios, & rudiores omnes eò mittendos; omnibusq; rudimenta fidei ignorantibus iubere, eas Scholas ut adeant, & frequentent: ibiq; ad Christiane viuendum necessaria addiscant.

Qui verò Parochus negligens fuerit, pœnam ferat ad Ordinarij arbitrium.

Extra vrbem autem Pastores omnes per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, illam docere teneantur.

Præpositi ergo, Plebani, & alij, quorum populus numerosus est, singulis Dominicis, & festis diebus à prandio, vel alio tempore, prout eis magis videbitur opportunum, huiusmodi pensum conficiant, & Christianam doctrinam doceant rationem habentes & a. necessitatis, & capacitatis. a. Vt in præfatione eiusdem doctrinæ.

Ceteri uero Parochi, quorum populus rarior est, iisdem diebus, antequam sacrum Missæ faciant, sacris uestibus induti curent, à populo illo saltem recitari, quæ ad sciendum maxime necessaria sunt; Orationem scilicet Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta tum Decalogi, quam Ecclesiæ, septem eiusdem Ecclesiæ Sacramenta, tres Theologicas uirtutes, & sanctissimæ Crucis signum. Modus sit, vt ipsi dicendo præeant, & populus eadem respondendo sequatur. Hac .n. ratione fiet, nullus vt horum ad salutem cum primis necessariarum rerū iustam possit prætendere ignorationem. Quas tamen si quis adultus post annum à publicatione Constitutionum sua culpa ignora-

uerit,

uerit, is nec aliquem è sacro fonte suscipiat, nec ad sacramenta, præterquam in articulo, aut periculo mortis, vlla ratione admittatur.

Si quis autem Pastor, aut Confessarius, Sacramentorumue præbitor hunc aliter absoluat, ad sacramenta admittat, uel sinat esse patrinũ, is à confessionibus audiendis tres menses suspensus sit.

Parochis ab officio Doctrinæ Christianæ edocendæ discedentibus, quoties id negligentia omiserint, toties duorum aureorum mulcta exigetur.

Tit. III.
De Prædicatione verbi Dei.

a. Concil. Trid. Sess. 24 c. 1. de Reform. b. Idem Sess. V. c. 2. c. Idem Sess. 24. c. 4. d. Idem Sess. V. c. 2.

Perfectioribus autem vt consultum, & prouisum sit, nec desit qui panem petentibus frangat; Sacerdotes animarum curatores omnibus diebus Dominicis, & Festis solemnibus; ieiuniorum autem Quadragesimæ, & Aduentus tempore si non quotidie, illis saltem diebus, quibus Reuerendiss. Archiepiscopus præscripserit, a. verbi diuini prædicatione cum b. breuitate, & facilitate sermonis plebi sibi commissæ per se, vel alios idoneos, si ipsi legitime impediantur, c. Sacras Scripturas, diuinamq; legem, nec non & d. uitia, quæ homines declinare, ac uirtutes, quas sectari oportet ad pœnam æternam euadendam, & cælestem gloriam cõsequendam annuntient. Illud pro comperto habentes, oues ad pascendum sibi commissas simplicitate magis, & charitate sui Pastoris, quàm aliorum exquisitiori doctrina instrui, atq; erudiri solere.

Quoniam uero regula, atq; præscriptio eiusmodi plebis ad omnia pietatis officia instituendæ satis tradita est in Catechismo Romano; ab eo Parochi, quorum causa diuinum illud opus auctoritate Apostolica editum est, ne recedant. sed inde potissimum colligant, quæ pro loco, & tempore, atq; hominum captu maxime uiderint expedire.

e. Rom. 10.

Tametsi autem communi vsu receptum est, vt ieiuniorum temporibus Prædicatores in Pastorum locum sufficiantur: quia tamen nemo prædicare potest, e. nisi mittatur, ob id nullus ad verbum Dei prædicandum recipiatur, admittaturue, quin literis approbationem, & missionem Ordinarij cõplectentibus suffultus sit.

Regulares quantumuis à suis Superioribus approbati, & con-

cionandi

cionandi licentiam habentes, ne prædicent in Ecclesijs suorum Ordinum nec ante Archiepiscopi benedictionem, ne etiam quando ille contradixerit. In alijs vero Ecclesijs concionem ne habeant, quin ab eodem Archiepiscopo scriptam licentiam (quam ille gratis dabit) impetrarint. Si non paruerint, semestrem suspensionem incurrant. Côcil Trid. Sess. V. c. 2. de Reform.

Extra claustra verò, & obedientiam suarum Religionum viuentibus, quorumlibet etiam priuilegiorum prætextu, prædicatio interdicta sit, donec de ea re sancta Sedes consulatur.

At quicunq; legitimè ad prædicandum missi fuerint illud præ oculis habeant, ne alijs prædicando, ipsi reprobi efficiantur. Et propterea memoria repetentes, a. eum, qui fecerit, & docuerit, magnum vocandum esse in cælorum regno; in omnibus se ipsos præbeant exemplum bonorum operum. Nam quo illorum vita integrior fuerit, eo maior etiam omnium, quæ probabunt, vel docebunt auctoritas habebitur; adijcientq; dictis eorum mores grauiorem fidem. a. Matt. 5.

Doctrinam, vel eloquentiam ne ostentent, ne sui ipsius potius, quam Iesu Christi prædicatores esse videantur. Abstineant hac de causa, & à difficilioribus, atq; inanibus quæstionibus, & ab omni fuco orationis: solumq; Christum, & hunc crucifixum prædicantes ab ijs non recedant, quæ in Lateranensi Concilio sub Leone X. decreta sunt.

Sacram scripturam eo sensu interpretentur, quem Catholica Ecclesia, & consentiens Sanctorum Patrũ auctoritas cõprobauit. Omnia ad finem, & plenitudinem legis, hoc est ad Dei, & proximi dilectionem referendo, nihil prætermittant earum rerum, quæ ad rectè facta vocandi, & à peccatis auocandi vim cognouerint habere. Ob eam igitur causam à Pastoribus, & grauioribus viris consuetudines vitiosas, præuaricationesq; eorum hominum, apud quos concionem habituri sunt, curent diligenter expiscari. Non vt quemquam nominatim, aut tacite designando insectentur, sed vt in illas inuehantur, & suam morbo afferant medicinã.

Propria cuiusq; officia ostendant, assidueq; commendent, vt parentes, filij, viri, vxores, domini, serui, Magistratus, Clerici, aliiq; omnes illorum adhortationibus, & præceptis ad sua munia reuocentur.

Superuacua autem, ambigua, parum fructuosa, historias apo-

 cryphas,

cryphas, miracula, quæ probata scriptoris fide non commendentur; ineptas, & ridiculas fabulas, hæreticorum opiniones, & argumento nullo modo adducant. Quòd si necessitas quandoq; id fieri postulet, (quo scilicet eorum falsa dogmata occurrotius, & liberias confutentur) tunc non longa disputatione, sed graui redargutione vtantur: innixi præsertim Ecclesiæ, Conciliorum, veterisq; consuetudinis auctoritati, & testimonijs Doctorum ab Ecclesia probatorum.

Passionem Domini Nostri Iesu Christi ne ante lucescentem diẽ prędicent. In qua etiã nihil faciont, dicantuè etiam ad lachrymas afferendas, quod à Christiana disciplina aliquo modo abhorreat.

Indulgentias populo ne publiceat, nisi de consensu Ordinarij.

Neminem quoq; eidem populo paupertatis nomine commendent; nisi is testimoniam ab Ordinario scriptam attulerit.

Vbi concionibus finem imposueriat, se coram Ordinario iterũ sistont, tonquom rationem suæ villicationis reddituri.

Pastorum officiũ in Cõcionatores. *Cum autem Concionatores in hoc munere obeundo Pastorum vices gerant: ideo Parochi eos benigne accipiant hospitio: cibo potuq; reficiant, aut reficiendos, accipiendosq; curent ab illis, qui eos de more, institutoué maiorum excipere, atq; alere debent.*

Peccata in quibus populum magis volutatam, aut ad ea procliaiorẽ cognoueriat, eisdem generatim aperiant, vt in illo acrius inuehantur.

Officia officijs foueaat, & se mutuo diligant. Quibus tandem eleemosynam præsteat, nisi olij sint, qui illam, ex more saltem, præstare teneontur.

Et quoniam qui ex Deo est verbo Dei audit: idcirco quoscunq; in sortem Domini electos, & diuino cultui mancipatos adhortari summopere placet, vt sacris concionibus, quantum poterunt, interesse studeont. Parochis vero, nisi necessitas aliter cogat, semper adesse præcipitur. Qui, si ingi Metropolitanę Ecclesiæ quasi seruitio præmuntur, dum eò accesseriat, ob eiusdem Ecclesiæ concionibus recedere absq; impetrata licentio ne sinantur.

Qui non interfuerit, quiue indeobierit pœna arbitratu Ordinarij multetur.

De lectione Sacrę Scripturæ. *A lectioae etiam Sacræ Scripturæ, dum Canonicus Theologus pro tempore in eodem Metropolitana lecturus est, nemo recedat, qui in Choro fuerit.*

De

Tit. IV.

De Hæreticis, & suspectis, deq; Libris prohibitis.

VT bene sperandum est quando Christianorum animi hisce fidei, & pietatis nutrimentis recte educantur: ita maximopere est timendum, dum venena simul vel incauti obbibunt. Cum igitur inimicus homo ad venenata sua dogmata insinuanda, animosq; fidelium corrumpendos nunc loquentes, nunc mutos doctores nequissimos adhibeat, à quibus simplicium mentes insanabili sæpe morbo afficiuntur: ideo, vt omnes illius artes eludantur, illisq; sedulo occurratur, atq; obsistatur,

Parochi animo semper excubent, ac vigilent pro grege sibi cōmisso; caueantq; ne qui sint in suis parochijs aut hæretici, aut eo nomine suspecti. Horum n. consuetudine, & colloquijs facile in incautos illud venenum transfunditur. Quam obrem & eos statim deferant, & populum moneant, huius farinæ homines non modo vitandos, sed ab omnibus etiam deferendos esse ad Archiepiscopum, vel ad Sacrum Inquisitorem, cum primum nouerint illos fecisse, aut dixisse aliquid, quod huius peccati vel probabilem parere possit suspicionem.

Contra inobedientes militent pœnæ Sacrorum Canonum, & Ordinarij arbitrium.

Ne vero muti illi doctores apud aliquem euomant virus nequitiæ suæ: Impressores, Bibliopolæ, ceteræq; omnes cùm laicæ, tum Ecclesiasticæ personæ à Regulis Indicis librorum vetitorum transuersum vnguem ne discedant. De Libris prohibitis.

Hunc, ergo Indicem auctoritate Summorum Pontificum editum, recognitum, & publicatum in suis libris habeant Typographi, Bibliopolæ, & qui librorum supellectilem parant, habent, augeat, & quicunq; demum in literas incumbunt.

Typographi adhæc ne quid imprimant Ordinario non permittente, & approbante. Permissio, & approbatio in fronte, vel calce librorum semper apponatur. Qui secus faxit, præter librorum proscriptionem, pœnam ad Ordinarij arbitrium suscipiat.

Bibliopolis autem libros emere interdictum sit priusquam indicem librorum sibi emendorum ad Ordinarium detulerint. Eo approbante, & indicem subscribente emant. Secus libros amittant, & arbitrio multentur.

De Iudæis, Tit. V.

ET ne etiam Iudęorum prauitate Christicolæ aliquo modo inficiantur, aut à fide descifcant, cautum sit:

c. Nullus eorum & c. Omnis deinceps. 28. q. 1.

Ne quis cum Iudæis in ijsdem ędibus viuat, habitet, commoretur: nec ad illorum conuiuia, nuptias, vel dies festos, & Synagogas accedat: aut cum eis edat, ludat, choreas agat.

Ne illis quoq; in famulatu sit.

Quod si in diem, vel horam Iudæis operam locauerit, apud illos cibum ne capiat.

c. Etsi Iudęos 13. de Iudęis.

Ne Christianæ mulieres Iudæorum nutrices in eorum domibus esse possint.

Extra eorum domos tum solum, cum necessitas Ordinario probanda postularit.

Christiani tandem ne Iudæos medendi causa ad se accersant.

Contra inobedientes lege, & arbitrio agatur.

Tit. VI.
De Sacramentis in genere. Cap. I.

QVandoquidem inter causas, cur Sacramenta noua legis institui oportuerit, illa quoq; numeratur, vt fidem nobis infererent, conseruarent, augerent, eiusq. tarditatem erigerent: ob eam ipsam causam non est à ratione alienum, si decretis ad fidem pertinentibus hæc, quæ Sacramẽta respiciunt, statim adiungãtur.

Cum vero nuper publico Ecclesiæ bono in lucem prodierit Rituale Romanum Pauli V. Pont. Max. iussu editum, vbi sacri, & sinceri Ecclesię Catholicæ ritus in Sacramentorum administratione, alijsq; Ecclesiasticis functionibus seruandi affatim comprehenduntur: propterea omnibus Parochis, & Sacramentorum administratoribus districte præcipitur, vt intra sex menses à publicatis Constitutionibus illud sibi habeant, & ad illius normam sua illi ministeria peragant. Quod vt aptius præstare valeant, legãt sæpius, diligenterq; obseruent, quæ & generatim, & sigillatim ibidem proponuntur obseruanda; ne vnquam ad tam sanctæ administrationis officia minus idonei, vel parati inueniantur.

Qui non obtemperauerit arbitraria pœna afficiatur.

De

De Baptismo. Cap. II.

SAcri Baptismatis, quod Christianæ religionis, & æternę vitę ianua nuncupatur, quò maior necessitas elucet, eò maior in illo opportune administrando, riteq; suscipiendo diligentia adhibenda est. Quoniam uero tam diligenter, & accurate, post Catechismum, in Rituali Romano ea edocentur, quæ in hoc sacramento bene administrando seruare oportet, ut nihil præterea à quoquã desiderari posse videatur: idcirco in ijs, quę pertinent ad materiã, ad formam, ad ministrum, ad baptizandos, ad patrinos, ad baptisterium, ad sacra olea, aliaq; requisita, & ad rationem deniq; scribendorum baptizatorum in libro, quisq; sacerdos huius Sacramenti ex officio minister ea pie, inuiolateq; seruet, quæ in eodem Rituali præscribuntur.

Nec tamẽ Pastor satis habeat, si ipse hęc probe teneat, & exequatur: sed huc maxime præterea incumbat, vt quę ad hoc Sacramentum conferendum sunt iure diuino omnino necessaria populum sæpe doceat. Quippe cum in vitæ periculo (seruata forma, & intentione Ecclesię) nullus non possit, & multi debeant sine solemnitate baptizare. Formulam itaq; cum generatim omnibus, tùm priuatim obstetricibus (in Ecclesia tamen) plane ostendat, ac tradat. Interim si quas veram baptizandi rationem ignorare inueniet, eas officio uti prohibeat, donec illã recte teneãt.

Si infans ob instantem necessitatem baptizatus fuisse dicatur; diligenter sciscitetur ab eo, qui baptizauit, si præsens est, de formula seruata: sin vero absens, exquirat à parente, uel ab ijs, qui ob sacras ceremonias puerum ad Ecclesiam detulere, qua ille forma, & qua materia vsus sit. Quod si rite Sacramentum collatum esse deprehendat, illa tantum suppleat, quę ad solemnitatem pertinent.

Ad infantem de sacro fonte suscipiendum ne admittat neq; fidei rudimẽta ignorantes, neque alios, qui in Rituali excluduntur, neq; tandem Clericos, nisi ab Ordinario sibi licentia concedatur.

Moneat patrinos de eorũ officij partibus, deq; spirituali cognatione, quam cum baptizato, eiusq; patre, ac matre contraxere.

Iubeat, ne ante annũ exactum puerpera, nutrix sue, aut alia quæuis persona infantẽ vna secũ in lecto teneat sine capsula olim præscripta.

Plebani, qq. omnes, quibus fons baptismalis est, ante Sabbatum Sanctum è Metropolitana Ecclesia olea recenter in die sacro Cœnæ benedicta, & consecrata recipiant; vt non solum in fontium consecratione, baptismiq; administratione, & infirmorum inunctione, pro ut opus est, eisdem vtantur: sed reliquis etiam animarum Curatoribus è Plebana Ecclesia, cui subsunt, recepturis cōmode, & opportune valeant infirmorum Oleū distribuere.

Quæ olea nec laicis personis, nec vitrea vasa ferentibus tradantur. Sacerdotibus autem Plebanorum, aliorumue nomine petentibus tùm solam præbeantur, cum ampullas argenteas, aut stamneas oleum sine effusionis periculo continere valentes, atq; in capsula tuto obseratas, notisq; bene distinctas detulerint.

Illi autem Ordinarij iudicio grauiter puniantur, qui aut laicos ad ea accipienda deligunt, aut eadem laicis, vel vascula, vt supra, non ferentibus præbent.

Sacrista, aliusue Oleorum custos, & distributor tam in Metropolitana Ecclesia, quam alibi per Diœcesim, referat in librum eo nomine confectam illarum Ecclesiarum, & personarum nomina, quibus sacra Olea data sunt.

Plebani deniq; omnes & alij, apud quos in Diœcesi est fons baptismalis, aut baptisterium, singulis annis ad sextum Kal. Octob. in die Consecrationis Metropolitanæ Ecclesiæ, quando ibidem Parochi de more se sistunt, deferant ad Ordinarium, aut, si impediantur, curent deferendam libellum, vel schedam, ad exēplum libri baptizatorum, continentem & diem, & nomina omnium eo anno à se baptizatorum, eorumq; parentum, & compatrum. Negligentibus quatuor aureorum multa in pios vsus arbitratu Ordinarij conuertenda statim irrogata sit.

Libellum, aut schedā Cancellarij in publicas tabulas referant.

De Sacramento Confirmationis. Cap. III.

QVam crebro accidat, vt hoc Sacramentum à multis omnino prætermittatur; paucissimi uero sint, qui diuina gratiæ fructum, quem deberent, ex eo percipere studeant, neminem fere latet. Quamobrem diligentiam Pastorum requirendo præcipitur omnibus curam animarum gerentibus, ut non solum adueniente Pentecoste quando præcipue administrari solet, sed quandocumq;

dacunq; etiam Illustriss. ac Reuerendiss. Archiepiscopus confirmare decreuerit, octo ante diebus de huius Sacramenti natura, vi, & dignitate fideles suos admoneant: doceantq, ante rationis vsũ non expedire, ut pueri confirmentur: eos vero, qui adulta iam ætate Confirmationem suscepturi sunt, si quidem Sacramenti gratiam, & dona consequi cupiant, oportere, ut peccata prius confiteantur. Cum sacrilegus sit, qui sibi lethalis culpæ conscius Sacramentum suscipit.

Nec omittant demonstrare eadem spirituali cognatione Patrinos, qui Confirmandis tanquam duces, & monitores ad spirituale certamen præberi solent, coniungi cum Confirmatis, eorumq; genitoribus, quo copulantur qui in Baptismo adhibentur.

In Ecclesia, vbi Chrisma confertur, adsit liber, in quem ad formulam eiusdem Ritualis, & Confirmatorum, & illorum parentum, & patrinorum, matrinarumue nomina referantur.

De Sacramento Pœnitentiæ. Cap. IV.

SI quod Sacramentum est, quod magnam Sacerdotis diligentiam in eo administrando desideret, hoc vnum certe est. Cum & pœnitentiæ repetendæ toties necessitas imposita sit, quoties post baptismum peccare contingat: & in Sacerdote huius Sacramenti administro, ob incredibilem rerum tractandarum magnitudinem, & difficultatem, tam magna non solum scientia, & eruditio ad peccata rite iudicanda, sed etiam prudentia in remedijs ęgrota adhibendis requiratur.

Quare ut recti Iudicis, & optimi simul Medici personam gerere valeat, studeat quidem ex probatis Auctoribus, præsertim uero è Catechismo Romano, & prudenti peritorum consilio scientiã sibi, & prudentiam comparare: sed tamen nunquam omittat has virtutes à Deo summis precibus orare. De hac itaque cautum, & sancitum sit,

Dum Sacramentum administrare oportebit, ne ab ordine in Rituali præscripto recedatur.

Ne mulierum confessiones in Ecclesia aut extra illam sedem confessionalem, quę cum interpositione tabulæ rite accomodata sit; aut noctu (nisi necessitas aliud postulet) audiantur.

Vt in qualibet sede confessionali sacra imago, Bulla cœnæ, &

Casus

Casus Illustris. Archiepiscopo reseruati assigantur.

Ne ab eiusmodi casibus etiam virtute quarumlibet facultatũ, aut priuilegiorum quorumcunq; sine Archiepiscopi permissione quisquam absoluere audeat.

Vt temere absoluens pœnam excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, inhabilitatisq. ad quæcunq, officia, prælaturas, & beneficia in posterum obtinenda ex Decreto Sacræ a. Congregationis statim incurrat.

a Congreg. S. R. E. Cardinaliũ negotijs, & cõsultationibus Episc. & Regul. præposi-tæ an. 1601. & 1602. 26 Nouemb.

Vt qui infirmorum in lecto iacentium confessiones audiet, testimonium scriptum illis relinquat: quod & Medicis ostendatur, ne ab illorum cura discedere cogantur; & ad Parochum (vbi is Sacramentum non administrauerit) illico mittatur.

Qui vrbanas, vel suburbanas Ecclesias Parochiales quacunq; ratione obtinent; à lectione earum rerum, quæ ad conscientiam recte, & praue factorum pertinent in Aede D. Frigdiani statis diebus habenda ne absint.

Vt de negligentibus, vel nsue sancitis parere nolentibus pœnas Ordinarius suo arbitratu sumat.

Casus Archiepiscopo Reseruati.

Vt Casus Archiepiscopo reseruati sint.

1 *Blasphemia in Deum, vel Sanctos, quã duo saltẽ audiuerint.*
2 *Periurium in iudicio cum alterius damno, aut detrimento.*
3 *Concubinatus.*
4 *Concubitus cum brutis, & contra naturã actiue, & passiue.*
5 *Violatio præcepti, ne infantes teneantur in lecto sine capsula ante lapsum anni ab eorum natiuitate.*
6 *Fascinatio, Diuinatio, Incantus, & recursus ad eos, qui talia perpetrant.*
7 *Crimen incendiariorum, & auxilium, vel consilium dantiũ.*
8 *Homicidium voluntarium.*
9 *Crimen Falsariorum, &*
10 *Comedentium cibos vetitos in Quadragesima absq; licentia Ordinarij, vel ab eo delegati.*

Vt in reliquis Casibus quãta est Illustriss. & Reueren. Archiepiscopi potestas, tanta Confessarijs omnibus esse data intelligatur. Dummodo sciant nec vota commutandi, aut dispensandi, nec iuramenta relaxandi, nec à Censuris ad Episcopum pertinentibus, vel eidem reseruatis absoluendi, nec tandem in Irregularitatibus dispensandi sibi prohibitam esse facultatem.

De

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Cap. V.

Quemadmodum admirabile Eucharistiæ Sacramentum omnium est Sacramentorum longe maximum, quippe quod ipsum sanctitatis Auctorem, & fontem continet Christum Dominum: ita præ ceteris est sanctissime colendum, & religiosissime tractandum, custodiendum, administrandum: Cum nulla grauior alicuius sceleris animaduersio à Deo metuenda sit, quam si in tanta re à quopiam delinquatur. Cum vero partes Parochi tum erga populum admonendum, & docendum, tum in decenter seruandis perpetuo particulis eo numero, qui vsui infirmorum, & aliorum fidelium communioni satis esse possit, ijsdemq; frequenter renouandis; tum in admittendis ad communionem fidelibus, aut inde reyciendis; tum deniq; in ordine seruando, dum fidelibus vel sanis, uel infirmis tam in Paschate, quam in alijs temporibus Sacramentum administraturus est, satis indicatę, & commonstratæ sint in Rituali Romano: illas propterea ad amussim quisq; suscipiat, & sustineat.

Omnes in Pascha à proprio Parocho Eucharistiam sumant. Nec Parochus concedat, vt quis eo tempore alibi communicet.

Qui tunc temporis extra diœcesim Eucharistiam sumpserit, is reuersus secum ferat testimonium scriptum ab eo, qui Sacramentum præbuit, & ab Ordinario loci, vbi communicauit, obsignatum. Si in minus in eũ agatur ac si non cõmunicasset in Paschate.

Pastor, si quem vehementer de vita honestate, aut proxima peccandi occasione suspectum habeat; petat ab eo de confessione facta scriptum sui Confessarij testimonium. Quod, si paterne monitus, ille ostendere neglexerit, aut paruiduxerit, ad Sacram Communionem (nisi publice petat) eum non admittat.

Si quos præterea è suis in Pascha non communicasse reperiat, videatq; eos, tametsi monitos, ad Communionem nolle disponi; eorũ nomina post Dominicã in Albis statim deferat ad Ordinariũ.

Animarum curatores, qui intra tabernaculum aliquot particulas cõsecratas iugiter in pyxide nec habuerint, nec seruauerint: quiue etiam non curauerint, vt ante hoc Sanctissimum Sacramentum, si non plures, vna saltem Lampas die, noctuq; colluceat: (qua in re fides habenda est accusatori, vel denuncianti cum te-

ste, eiusq; iuramenta) toties quoties alterum ex his, vel vtrunq; maiserit vltra multam quatuor aureorum, Ordinarium habeant suo arbitratu punitorem.

Vbi Sacrosãcta Eucharistia in solemnibus supplicationibus gestanda est, non in Calice, non in Pyxide, sed in tabernaculo Ostensoria deferatur, quod lunulam argenteam habeat, quodq; vltra mũdo, & perspicua circundatum sit, atq; ita accomodatum, vt & comode aperiri, & fragmenta, si qua forsitan ibi relicta fuerint, facile colligantur.

Oratio, quam vocant Quadraginta horarum, nullibi habeatur, nisi Ordinarij concessu. Qui si honorifice, eaq; pietate, ac religione retineri posse censebit, qua olim instituta fuit, de facili cõcedet; modumq; tum seruandum præscribet.

A laicorum deniq; uocatis Confraternitatibus publice nunquã quouis modo hoc tam magnum Sacramentum exponatur, quin prius ab Ordinario eius rei gerendæ sibi potestas facta sit.

De Sacrificio Missæ. Cap. VI.

VT vtra Sanctissimum Missæ Sacrificium, in qua Deo placens illa Hostia Iesus Christus offertur, singulari religione, ac pietate à Sacerdotibus celebretur, & à populo colatur, statutum sit:

Ne Missæ ante auroram, vel post meridiem, nisi ex causa permissa, celebrentur.

Cõcil. Trid. Sess. 23. c. 14 Vt in Sacerdotali ardine constituti diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus (nisi iuste impediantur) Missam celebrent.

Ne Missæ sacrum fiat nisi in Ecclesijs, Oratorijs, locisq; benedictis, & diuina cultui dicatis, nõ interdictis tamen, nec pollutis.

Qui secus faxit temeritatis suæ pœnas dare iudicio Ordinarij compellatur.

Ne Sacerdotes, etsi animo, vt debent, bene dispositi ad Missæ celebrationem accedant, nisi ea, quæ ex Missalis Romani præscripta necessaria sunt, recte prius præparata, ac disposita fuerint. Altare nimirum, Calix, Ornamenta, Indumenta.

Qui barbam à superiori labro recisam, coronamue clericalem conspicuam non deferunt: quiq; publice, & notorie criminosi fuerint, nisi emendata vita sceleris maculam eluerint, ad Missæ celebra-

celebrationem ne admittantur.

Aduenæ quoq; & peregrini, atq; alterius Diœcesis Sacerdotes absq;. Ordinarij permissu ad Missarum celebrationem ne recipiantur.

Qui eos admiserit in duorum aureorum pœnam incurrat.

Quo tamen haud subire intelliguntur qui aut valde notos admiserint, aut illos, de quibus viri boni, & omni fide digni idoneum sibi præbuerunt testimonium.

Onus Missarum in aliena Ecclesia celebrandarum certis diebus, certaq; eleemosyna constituto ne recipiatur, nisi ab eo, qui scriptam Ordinarij habeat facultatem,

Ne quis Missas, aut diuina Officia in Ecclesijs Monialium celebrare audeat, nisi eius rei sibi, aut earum, vt dicitur, Coppellano ab Illustrissimo Antistite, vel eius Vicaria potestas facta sit.

In Oratorijs sodalitatum sæcularium, quas Confraternitates vocant, alijsue Ecclesijs, & Cappellis sæcularibus, quæ Parochialis Ecclesiæ finibus continentur, Parochi functiones Ordinario, aut Parocho non permittente ne quis exerceat: neue Missam celebret Dominicis, alijsq; diebus festis (nisi ibi festum Patroni, vel tituli agatur) antequam in Parochiali Ecclesia sacra peracta sint.

. In Liburni tamen Ecclesia, quoad Missas, illud seruetur, quod in Metropolitana Pisana.

Ne quis, etsi legitime ordinatus, aut etiam exemptus primam Missam in Diœcesi celebret, quin recte prius institutus sit, & ab Ordinaria insuper approbatus. Qui secus fecerit sex menses ab Altaris ministerio sit suspensus.

Importunæ, atq; illiberales eleemosynarum exactiones, munera, sumptuosa conuiuia, ludi, choreæ, ceteriq; abusus, qui aut temeritatis, aut auaritiæ speciem præseferunt, in nouæ, vt vocant, Missæ celebratione penitus tollantur.

. Extra Ecclesiam tamen, si absq; scandalo, & diuini cultus perturbatione fiat, non sit prohibitum consanguineis, & amicis, si quid vltro illis afferre, aut largiri placuerit.

Clericus Pisanæ Diœcesis, qui absq; Archiepiscopi licentia alibi promotus sit, in hac Diœcesi ne celebret, neue curam animarum exerceat, quin prius ab eodem Archiepiscopo, vel eius Vicario examinatus facultatem impetrarit.

Vt Missæ eodem tempore celebrandæ, in Altaribus longe distinctis celebrentur; ita vt nec alter ab altero perturbetur, nec, si fieri potest, audiatur.

Sacris vestibus induti Sacerdotes ne quemquam alloquantur, alloquentemue audiant, neue in ea incumbant, quæ animum à Deo diuellere, aut distrahere possint.

Ne ad Altare è Sacristia proficiscantur, nisi clericali birreto tecti. Eamq; ob rem in Cathedrali; & vbicunq; plures Missæ quotidie à Clericis celebrandæ sunt, ibidem in Sacristia ad huiusce modi vsum quatuor saltem talia capitis operimenta perpetuo habeantur.

Vt in Missę celebratione cæremonias à Romana Ecclesia institutas, & in Missali recognito præscriptas obseruent ad vnguem: abstineantq; ab omni indecoro, & absurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu.

Operto capite ne celebrent.

Birretum, subbirretum, sudariolum, vel aliud simile in Altare ne ponant.

Vt Clerici omnes, qui Cappellas, Altaria, & Beneficia obtinent, quibus aut à iure, aut ab homine Missarum celebrandarum tam pro viuis, quam pro defunctis certum onus iniunctum est; munus illud per se, (si in erectione, uel fundatione id sit expresse cautum) aut per alios idoneos statis locis, & horis adimpleant.

Qui hoc præstare omiserit; primo decem solidorum pœna afficiatur; secundo loco duplum persoluat: tertio, & vltra vel à diuinis suspendatur, vel fructus eorundem beneficiorum Ordinarij arbitratu amittat.

Vt Pastores, seu Parochi nedum Dominicis, & cæteris festis diebus, sed etiam ter in hebdomada, vel eo sępius, quò vel loci consuetudo, uel necessitas crebriorem diuini Sacrificij vsum postulabit, in parochiali Ecclesia per se ipsi celebrent.

Qui ob Ecclesiæ suæ paupertatem, Missarum numerum in diebus non festis censuerit minuendum, ea de re cum Ordinario agat.

Vt animarum curatores, qui absq; Ordinarij facultate Dominicis, & Festis diebus extra Parochialem Ecclesiam celebrauerint; vtq; illi qui eosdem ad celebrandum sine ea facultate admiserint, primum aureo multentur; deinde duplicata pœna plectantur: tandem crescente contumacia tam celebrantes, quam admittentes longe grauius, prout idem Ordinarius existimauerit, puniantur.

Extra

Extra vrbem tamen dies festi solemniores, seu Titulares Ecclesiarum existentium in Plebanatu excepti intelligantur: dummodo à Dominica Passionis vsq; ad Octauam Paschæ exactam non celebrentur.

Vt illis Festis, dum Missæ, & Vesperæ decantantur, Presbiteri omnes, & Clerici superpelliceo induti sint. Ob Ecclesiarum autem paupertatem, & ob Clericalem decentiam, & honestatē, vt non nisi sobrie, ac modeste prandeant: vtq; statutum modum non tenentes Ordinarium sentiant animaduersorem.

Pastores priuatæ cuiuspiam personæ causa Missæ tempus parochialibus suis magis commodum præpropera anticipatione, nimiaue prorogatione ne prætereant: neue concionem, aliaq; pastoralia munia ob eam ipsam causam omittant.

Ad Altare præfecti ne quempiam non decore expectent.

Missam tandem semel cæptam, quacunque tali adueniente, ne repetant.

Secus agentes pœnas luant.

Qui vero minis, ac terroribus ad horum aliquid peragendum Sacerdotes adegerit, siquidem Clericus sit, quatuor aureis multetur; sin vero laicus excommunicetur.

Vt qui bis in die celebrauerit biennio suspensus sit, & graui pœna iudicio Ordinarij afficiatur.

De Sacramento extremæ vnctionis. Cap. VII.

NE tam salutaris animi, & corporis medicina à Christo Domino instituta aut negligenter amittatur, aut indecenter administretur:

Parochus periculose ægrotantes, eosq; qui præ senio iam deficiunt, adhortetur, vt dum in illis mens integra, & ratio viget, ad vberiorem inde gratiam suscipiendam, sacro Oleo liniri velint. Quam ob rem die, noctuq; vocatus nullum subterfugiat laborem. Imo vltro sæpius accedat ea munia obiturus, quæ ad visitationē, & curam infirmorum pertinere monstrantur in Rituali Romano.

A cuius præscripto ne minimum quidem in hoc Sacramento administrando discedat.

Vetus Oleum sine cunctatione, postquam nouum benedictum fuerit inanet; neq; illo vtatur, nisi ante noui receptionem infirmos inungere à necessitate compellatur.

De

De Sacramento Ordinis. Cap. VIII.

CVM ab Ordinis Sacramento reliqua ita pendeant, vt sine illo partim confici, & administrari nullo modo queant; partim solemni quadam caremonia, & religioso ritu, ac cultu ca-
Sess. 23. *rere videantur: ideo Tridentina Synodus, diligentissime omnia circumspiciens, nihil eorum omisit, qua ad idoneos Ecclesia Sacerdotes, aliosq; ministros deligendos censebantur opportuna.*

Illius itaq; præscripto omnia fiant. Sed tum maxime, cum de ijs agitur, qui ad maiores Ordines erunt assumendi.

Ad quos tunc solum legitime aditus, & ascensus pateat, cum promouendi per mensem ante Ordinationem Archiepiscopum adierint; eodemq; tempore cum Parocho egerint, vt suis nominibus, desiderio, & Titulo, ad quem promoueri volunt, populo denunciatis, publiceq; in Ecclesia propositis, de ipsorum natalibus, ætate, moribus, vita, & titulo à fide dignis diligenter inquirat. Cuius tandem Inquisitionis scriptum Parochi testimonium nisi prius ad Ordinarium detulerint, aut saltem secum ferant dū se examini subijcere volunt, neq; ad examen, neq; ad Ordinem vllo pacto admittantur.

De Sacramento Matrimonij. Cap. IX.

Sess. 24. de Reform. *ADeo studiose, & accurate post Sacros Canones à Concilio Tridentino, a Catechismo, & Rituali Romano de hoc magno Sacramento rite administrando pertractatur, vt si illorum hac in re præscriptio teneatur, nihil amplius à Parocho desiderandum sit.*

Illis igitur prorsus adhæreat, & ex illorum præscripto tantū Sacramentum, administret: grauiter, si quid delinquat, Ordinarij iudicio plectendus.

Matrimonium eo ipso die, quo denunciationes fiunt, absq; permissu Ordinarij, ne celebretur.

Sponsi, ante matrimonium in facie Ecclesiæ cōtractum, ne permisceantur. Qui non paruerit excommunicatus sit, & Ordinarij insuper arbitrio puniatur.

Excommunicationis autem absolutio pertineat ad Illustrissi- (mum.

Iit.

Tit. VII.

De externo Dei cultu per Sanctorum Reliquias. Cap. I.

Religio, quæ à fide nulla ratione separari potest, Fidem ipsam sequitur. Prius .n. est (inquit Lactantius) Deum scire, consequens colere. Ergo vt Deus ab omnibus summa religione colatur, ad superiora decreta fidem potissimum respicientia, ea adiungere visum est, quę ad cultum Deo exibendum diriguntur. Quem .n. vt fidelem, & rectum; vt omnipotentem, & ad clemensiam maxime propensum; vtq; optimum, & in nos beneficensissimum fide, spe, & charitate prosequimur, eum non possumus non externo cultu pie venerari. Quamquam autem recta Sacramentorum administratio, religiosaq; eorundem susceptio, & incruentum illud corporis, & sanguinis IESV Christi sacrificium fidem patefaciunt extrinsecus, ac maximopere ad Diuinum cultum pertinere dignoscuntur: non est tamen vllo pacto dubitandum, quin ex sanctorum veneratione, & inuocatione permagna illi etiam accessio fiat. Mirabilis .n. Deus in sanctis suis agnoscitur. Fides praterea in nobis excitatur, spesq; erigitur, dum eos una cum Christo regnantes orationes suas pro nobis Deo offerre contemplamur. Charitas etiam exardescit, cum illorum deprecatione Deum nobis per IESVM Christum propitium futurum animaduertimus. Lact. Firm. lib. 4. Inst. c. 4.

Idcirco in Dei cultum, & vt sanctorum in nos praclara merita aliqua grata memoria prosequamur, de illorum corporibus, cineribus, & reliquijs, quæ viua Christi membra, & templum fuere spiritus sancti sancire visum est:

Vt in locis honestissimis, & vasculis apte, & decore fabricatis quo decet religione asseruentur.

Ne populo vnquam, etiam pietatis ergo, absq; luminibus ostendantur.

Ex loculis, vbi conduntur, Ordinario non permittente, ne educontur.

Vt amotis ab Altare rebus omnibus, quę recipiendarum, colligendarumue eleemosynarum causa apponi consueuerunt, pietatis, non quæstus gratia omnium oculis exponantur.

Absq; custode, & vasculis ita clausis, sutoq; obseratis, vt Reliquiæ nec extrahi, nec tangi, nisi oculis, vlla ratione valeant,

publice

publice visendæ ne proponantur.

Manibus asportandæ, vel reportandæ ne à laicis deferantur.

Lumina semper, & sacræ cantiones tunc tẽporis adhibeantur.

In consuetis processionibus per vrbem absq; vmbella, & quatuor saltem intorticijs decenti crassitudine, ac longitudine collucentibus ne deferantur.

Per Diœcesim vero vt totidem saltem carei, ijq; in laternis grandioribus accensi adhibeantur.

Nouæ reliquiæ, nisi Archiepiscopo recognoscente, & approbante, ne recipiantur.

Vt vbicunq; sacra Reliquiæ asseruantur, duo earundem omnium indices infra tres menses conficiantur; quorum vnus in publicas tabulas referendas Ordinario tradatur; alter vero in Ecclesia conspicuo, & decenti loco in sanctorum honorem, Deiq; gloriam affigatur.

Vt delinquentes in præmissis, Ecclesiarumq; Reliquias suffurãtes, vel inconsulto Ordinario largiẽtes meritas pœnas depẽdãt.

De eodem cultu per sacras Imagines, hoc est de sacris Imaginibus. Cap. II.

Cõcil. Trid. Sess. 25 in Decreto.

Fideles à suis Pastoribus de legitimo Imaginum vsu diligenter instruantur; ut per Imagines, quas osculantur, & coram quibus caput aperiunt, & procumbunt, Christum recte adorare, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, uenerari addiscãt. Nec decipiantur, credentes in Imaginibus aliquam esse diuinitatem, uel uirtutem, cuius causa eas colere oporteat; cum honor ad prototypa solum referendus sit.

Signa, & Imagines, quę ad res diuinas ob oculos ponendas, & ad humanę redemptionis mysteria exprimenda; uel ad Dei, per sanctos, miracula, & præclara eorundem facta quasi inspicienda pinguntur, finguntur, scalpuntur, falsi quippiam, profani, insolici, apocryphi, aut præposteri, quodq; fidelium mentes procaci uenustate, uel lasciuia offendere possit, ne complectantur. Sed einsmodi sint, quæ ueritati scripturarum, traditionum, aut Ecclesiasticarum historiarum non aduersentur: imo quæ ad prototypũ dignitatem, & sanctitatem apte, & decorè respondentes, ualeant homines ad pietatem excitare.

Historiæ

Historiæ falsa vulgi vana opinione commendatæ ne effingantur.

In Ecclesijs, alijsue pijs, & publicis locis signa, & sacræ Imagines absq; Ordinarij approbatione ne ponantur.

Ex hactenus appositis siquæ emendationis indigebunt, ad Illustrissimi voluntatem emendentur, vel prorsus amoueantur.

Ad Ecclesiarum, & publicorum locorum ornatum in Dei, & Sanctorum solemnitatibus, publicisq; processionibus, (ne sacra prophanis commisceantur) sacræ solum Imagines adhibeantur.

In locis immundis, & contemptibilibus Cruces, aut aliæ quæcunq; sacræ Imagines ne pingantur, neue collocentur. Depictæ & appositæ intra mensem deleantur, amoueanturue.

Contumaces pro culpæ modo ab Ordinario plectantur.

Tit. VIII.
De tempore externi cultus Deo ex lege exibendi: hoc est de Festorum dierum obseruatione.

Dierum Festorum obseruationem diuina primum, deinde Ecclesiastica etiam lege sancitam, vt homo à negotijs, corporisq; laboribus feriatus certo tempore Deo vacaret, eumq; pie, ac religiose coleret, praua, quæ apud multos increbuit, atq; inualuit consuetudo, ita labefactauit, vt reparationi locus vix relictus esse videatur. Attamen vt hoc valde dolendum est, ita Pastoribus est enixe elaborandum, atq; in eam curam incumbendum, vt Dominicis diebus, quando dies festos, & ieiunia populo annunciant, fructum, & admirabilem huius præcepti vtilitatem commonstrantes, cunctos ad Festorum obseruantiam, Missæq; & diuinorum Officiorum auditionem sedulo adhortentur: ab ijs vero, quæ quod Diuinum cultum impediant, facere vetamur, quantum fieri potest maxime dehortentur.

In Diœcesi autem Pisana de more aliorum Festorum, quæ ex Ecclesiæ præcepto, aut ex loci consuetudine, aut voto coluntur, singulis annis pie, ac religiose sanctificentur dies Natales sanctorum Torpetis Martyris Pisani III. Kal. Maij: Raynerij Confessoris Pisani XV. Kal. Iulij: Ephisij, & Potiti Martyrum Idib. Nouemb. & dies Consecrationis Metropolitanæ Ecclesiæ VI. Kal. Octob.

Qui dies Festi ab vniuersis cuiuscunq; Ordinis Regularibus

quauis ratione exemptis colantur, sanctificentur, obseruentur.

Qui in bestijs pascendis, quiue in venundandis rebus ad victũ eius diei, ægrotorumue curationem necessarijs occupantur, ij Missæ Sacrificium ne omittant.

Ne quis diebus Festis ex vrbe, oppido, aliouè loco, cum iter facturus est, ante discedat, quam Missæ Sacrificio interfuerit: nisi eò profecturus sit, vbi in tempore interesse valeat.

Officinarum tam Christianorum, quam Iudæorum nec Ostiolum apertum sit.

Ne quid ematur, vendaturue, quod ad victum eius diei, vel ad infirmorum curationem non fuerit necessarium.

Artes illiberales ne exerceantur: neue opus vllum fiat hoc Bulla Pij V. *tempore alienum, legeq; vetitum.*

Qui in præmissis deliquerit, quiue rusticale opus exercuerit, aut vecturam fecerit merces euehendo, res externas inuehendo (vbi necessitas non vrgeat) aureo primum multetur. Max crescente contumacia ad hanc pœnam accedat arbitrium Ordinarij.

Circulatores, Præstigiatores, Comœdi, & alij eiusdem generis homines dum Diuina celebrantur, voce aut instrumentis ne canant publicis, vel quasi publicis in locis: ludos quoq; choreas, & alia nugarum irritamenta ne exerceant.

Transgressores toties quoties deliquerint eadẽ pœna afficiãtur.

Tit. IX.

De loco Diuini cultus, nimirum de Sacrosanctis Ecclesijs, & earum indemnitate. Cap. I.

CVM locus ad actiones Diuini cultus abeundas, ad Orationes præsertim, & sacrificia Deo offerenda ob illorum miram sanctitatem, solemnemq; & publicum ritum, sacer, aptus, ac decens esse debeat:

Nemo secundum Canonicas sanctiones nouas Ecclesias, Monasteria, Oratoria, Cappellas, aut Altaria ante Ordinarij approbationem construat, vel construenda curet.

Ante consecrationem, vel benedictionem ne quis ibidem sacra faciat.

Cõcil. Trid. Sess. 25. in Decreto. *Recentium miraculorum occasione, nisi causa ab Ordinario prius cognita sit, nec Altare erigatur, nec Imagines extra mo-*

rem

rem exornentur, nec vota, aut oblutiones suspendantur, nec tandem noui quidpiam agatur.

In sacris ædibus sartis tectis conseruandis, ijsdemq; exornandis splendor pro viribus, sed munditia semper, & elegantia adhibeatur.

Parochiales dirutæ ex fructibus reficiantur. Ruinam minantes reparentur, dummodo Rectoribus vnde commode viuere possint relinquatur. Quodsi vtrunq; fieri non valeat, nec Patroni, aut alij sumptus necessarios possint, aut velint suppeditare; tunc alijs Ecclesijs, sine obtinentium damno (uel repugnantibus Patronis) vniantur; & prout de Iure fuerit agatur.

Si quæ fenestræ in ipsis Ecclesiarum parietibus insunt, vnde in Ecclesias conspectus sit; intra duos menses à Constitutionum publicatione obstruantur.

Quoniam vero domum Dei decet sanctitudo, resq; a. Sacræ, ac Diuino cultui dicatæ debito honore sunt afficiendæ: ideo ex præscripto b. Pij V. omnibus præcipitur:

a. 7 Synod. Gen. Nicæna.

b. In Bulla quę incipit Cum primũ. an. 1566. VI. Kal. April.

Ne seditiones, aut tumultus ibi excitent, clamores moueant, impetum faciant, vana, fœda, & profana colloquia habeant, immoderate rideant, aut quacunq; ratione diuinum Officium perturbent.

Dum Missæ, & diuina Officia celebrantur, aut verbum Dei prædicatur, per Ecclesias ne ambulent: ibidemq; & in locis Ecclesiæ propinquis ne vociferentur, nugentur, negotientur, ludant aut aliquid irreuerenter faciant.

Quodsi quis publicis in plateis, vijsq; in conspectu Ecclesiarum positis, aut in ipsarum Ecclesiarum atrijs choreas agere, uel ludere audeat, multum aurei sufferat: Et præter pœnas à Magnis Etruriæ Ducibus in ludentes constitutas, ludens in carcerem detrudatur, ibidemq; Ordinarij arbitratu detineatur.

Pauperes ijsdem temporibus mendicare, aut eleemosynas petere, præterquam ad ualuas ne sinantur.

Virorum conuentus, vnde garrulitas, & fœminarum uexatio sæpe contingere solet, in Ecclesiæ foribus, uel iuxta pilas aquæ benedictæ fieri ne permittantur.

Cumq; indignissimum sit, ut coram pacifico Rege, cuius in pace factus est locus, homines armati fiat, & thuris loco malo cordularum, & sulphurei pulueris odore Ecclesia Dei suffumigetur:

fideles propterea nec ad Missas audiendas, nec ad diuina Officia hastati, aut bellicis cum tormentis, & ballistis se conferant; tametsi iuxta valuas arma sint depositari. Quippe ad ea aliquando itum est; & cades in Ecclesia patratæ fuere.

Parochi (si illi, quamquam moniti parere noluerint) celebrare, aut diuina peragere ne præsumant. Sed aut ipsi coram, aut per literas rem Ordinario significent.

Qui Ædes sacras, prout decet, non veneretur, & colit; quinne ea, quæ in illarum honorem supra statuta sunt, contemnit; is præter pœnas à Pio V. sancitas, pro modo culpæ ab Ordinario grauissime puniatur. *(na irrogetur.*

Quod si in Ecclesiã polluere audeat, pro sceleris ratione illi pœ

In Ecclesijs tum quando Eucharistiæ Sacramentum publice expositum est, tecto capite esse quisquam ne sinatur.

De Decimis Ecclesiæ soluendis. Cap. II.

QVoniam Ecclesijs ad debita in Deum obsequia præstandã, & ad congruam ministrorum in diuina incumbentiũ substentationem tum diuino, tum Ecclesiastico præcepto Decimarũ solutio debetur: Ideo

Cõcil. Trid. Sess. 25. c. 12 de Refor.

Decimæ Ecclesijs aduenientes ne subtrahantur, neue impediantur, aut temere occupentur: sed ijs, quibus legitime debentur integra ab omnibus persoluantur.

Familiæ, quæ bobus terram arant ex præscripto antiquarum Constitutionum grani modiolum, seu, vt vulgo dicitur, starium singulis annis pro Decima soluant. Cuius tamen dimidia pars ad Dominum, altera ad Colonum spectare intelligatur.

Quæ vero manibus, quod dicunt, sibi victum quæritant, dimidium illius mensuræ dependant.

In non soluentes, aut temere occupantes, subtrahentes, impedientes iuris remedio, & arbitrio agatur.

De ijs, quæ Funeralium nomine Ecclesijs debentur: & de Funere. Cap. III.

SIcut pactiones, & exactiones illicitæ, quæue simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem afferre possunt, nulla ra-

tione

tione in Ecclesia ferenda sunt: ita non est rationi consonum, vt Ecclesia debitis eleemosynis defraudentur. Cum igitur pia instituta, & laudabiles consuetudines, quas populus sua sponte, & voluntate introduxit, seruare opus sit; ex more, qui iam diuinolenit hae pro funere, seu vocatis funeralibus debeantur.

Si moreem obeant patres, matresue familias, aut ij, qui alias familię caput appellātur, denariorū libra quatuor -- libr. 4 —

Alijs occumbentibus, ætatis ratio habeatur. ita vt Pueris intra septenniū moriētibus, decem soldi -- libr. -- 10

A septennio vsque ad 25 ætatis annum denariorum libra & semis ———————— libr. 1—10

Ex inde semper, & sine vllo discrimine duæ libræ pendantur ———————— libr. 2 —

Miserandis tamen personis, & quasi fame pereuntibus, Ordinarij iudicio declarandis, absq; pretio remittantur.

Candelæ omnes, cerei, & nuncupata intorticia, quæ aut domi, aut in Ecclesia circum feretrum apponuntur, ad Ecclesiam pertineant Parochialem.

Quæ vero circum cadauer in funere deferuntur, vnà cum cerea Cruce, quæ super defuncti pectus collocatur, æqualiter in duas partes diuidantur; quarum hanc Parochus, illam vero Ecclesia, vbi Cadauer humatur accipiat. Quod si in Parochiali Ecclesia, eiusue coadatur Sepulchreto, tum nulla facta diuisione, vniuersa Parochus lucretur.

Ne autem, contra veterem morem, damnum Parochis inferatur, decernitur, prout olim etiam decretum fuit: vt si funalia, intortitiaue, quæ impensa domus defuncti, vel hæredum, vel aliorum quorumcunq; funus curantium in sepeliendis corporibus adhibentur, non fuerint plura, quam sex; omnia pro rata parte ad Parochum, & ad Ecclesiam, vbi defunctus humo tegitur, pertinere intelligatur.

In maiori autem numero permissum sit hæredibus, alijsue funeris curatoribus, vt Laicorum Confraternitatibus, alijsq; Crucem præferentibus bina concedant.

At in maximo eorundem numero, si qua vltra eisdem concedere collibitū sit, Ordinarius, antequā funus procedat, consulatur.

Quæ tamen funalia, intortitiaue in funere adhibenda eodem pondere, eademq; qualitate constent. Id quod in cæreis etiam,

vel

vel Candelis distribuendis obseruetur.

Pondus ceræ candelæ ex more distribuendæ selibra sit. Quod si augeri, vel in melius aliqua ratione mutari contingat; mutatio, & augmentum omnibus eodem modo, sed pro rata parte, accrescat.

Parochis ad sepulturam mortuum comitaturis non modo Clericum, sed & comitem, vocare, veteri consuetudine permissa sit.

Quibus (si omnes adsint) quinq; solum candelæ tribuantur. Quarum vnam ad Clericum, alteram ad comitem, tres vero ad Parochum spectare decernitur. Nec pro pulsandis Campanis huic quicquam amplius debeatur.

Dum cadauer, ex recenti more, ad Parochialem Ecclesiam defertur, non ad humationem, sed vt ibi asseruetur donec efferendum sit: Parochus pro comitatu nec funalia, intortitiaue, nec quicquam aliud petere valeat. Si quid vero ultro sibi datum fuerit, accipiat.

Si custodiæ, & orationum causa eidem cadaueri à Sacerdotibus, religiosisq; viris assistendum esse decreuerint qui funeri curando præsunt: Parochus ante omnes requiratur. Alij vero eorundem arbitrio relinquantur.

Si quando contingat, quempiam in aliena Parochia decumbere, & occumbere: tum Parocho, qui Sacramenta præbuit, & in cuius ille Parochia decessit, tres solum candelæ in funere præbeantur. Cetera autem emolumenta ad proprium Parochum spectare intelligantur.

Ruri, aut in Oppidis diem suam, etiam in propria domo, obeuntibus ijs, qui Vrbem incolunt: si ad hanc sepulturæ causa deferantur, funeris consueta emolumenta Vrbanus, non Diœcesanus Parochus lucretur.

Huic tamen (licet cadauer non comitanti) tres candelæ, & cærei illi funales, intortitiaue præbeantur, quæ per uiam, dum corpus in Vrbem effertur, accenduntur: comitanti autem eleemosyna insuper pro comitatu ex more præbeatur.

Contra omnia fiant si Ruri, aut in Oppido sepeliatur qui Rus, Oppidumue incolit, & vitam in vrbe finiuit.

Extra muros Vrbis per Diœcesim laicorum appellatæ Societates, si defuncti hæredibus ita faciendum esse uideatur, tertiam ceræ partem, quæ grossa nuncupatur, (non tamen ceræ Crucis supra de-

pra defuncti corpus appositę, nec candelarum, quæ circum cadauer in domo, uel in feretru apponuntur) tum consequi valeant, cum omnia intortitia accendantur.

Vbi ad funus peragendum plures sunt conuocandi Sacerdotes, Plebanus, cui Parochialis Ecclesia subycitur, primo loco inuitetur; deinde uero Rectores aliarum Ecclesiarum in Plebanatu existentium. ita tamen vt principium à finitimo, & viciniori sumatur; post quem antiquitatis ratio habeatur.

Plebano semper, & vbiq; (extra Vrbem tamen) cera duplicetur.

Qui etiam Crucem deferre possit vbicunq; illius gestanda adsit, vigeatq; consuetudo. Vigeat autem, vel ne pertineat ad Ordinarium declarare.

In causis funerum nullo iuris ordine seruato, sed sola facti inspecta ueritate extra iudicium procedatur; omniaq; executioni mandentur.

In ijs autem, quæ funus, exequias, & sepulturam respiciunt (vt hunc rem inseramus) ordini in Rituali Romano præscripto insistatur. De Sepultura.

Cadauera post spiritum exalatum nec ante duodecimam, nec post vicesimam quartum horam sepeliantur.

De improuiso, aut cuiuscunq; morbi repentina ui obeuntes ante decimam & octauam repentini euentus horam ne in sepulchrum inferantur.

Vigiliæ mortuorum in ædibus priuatis ne decantentur.

Officium pro mortuis in die eorum depositionis tribus nocturnis persoluatur.

Laici homines candelas accensas manibus gestantes, cadaueraq; in Ecclesia circundantes signo Crucis ne signent.

Cæmeteria tuto clausa sint; in eorumq; ingressu clatra ferrea, uel saltem lignea apponatur, vt brutis animantibus accessus intercludatur.

Pisano Capitulo omnibus in Ecclesijs, etiam exemptis quorumcunq; Regularium Missam, & Officia mortuorum ex antiquorum priuilegiorum concessione, quæ hic pro insertis habeantur, in funeribus celebrandi potestas facta esse intelligatur.

De

De bonis Ecclesię non alienandis. Cap. IV.

NE sacrum patrimonium exauriatur, & ob inopiam, ac egestatem Ecclesię debito cultu destituantur:

Sess. 22. cap. XI. de Reform. *Decretum primo loco Concilij Tridentini, quod incipit, Si quem Clericorum, aduersus occupantes Ecclesiastica bona, bis in anno à singulis Pastoribus populo significetur, omninoq; in memoriam reuocetur.*

Bona deinde tam immobilia, quam pretiosa mobilia Ecclesiarum, & quorumcunq; Piorum locorum alienare omnifariam nefas sit; vbi Sacrorum Canonum, & Apostolicæ Constitutionis b. In Extrau. Ambitiosæ. *a. Pauli II. præscriptio, & formula non seruetur.*

Male alienata recuperentur.

Permutationis Contractus ne fiant, nisi ad præscriptum illius Constitutionis.

Qui de alienationibus vt supra uetitis, aut de decreto à quocunq; interponendo instrumenta confecerit, quoties deliquerit, toties duorum aureorum pœnam subeat.

Alienantes vltra pœnas sibi à Iure inflictas aureo mulctetur.

Instrumentum autem ipso iure nullum sit.

A consuetudine tamen in hac Diœcesi hactenus obseruata ne recedatur. Liceatq; propterea (seruatis de iure seruandis, accedenteq; Ordinarij auctoritate) Ecclesiastica bona in Emphyteusim tum demum concedere, cum annui redditus quatuor, vt dicunt, saccorum tritici mensuram non excedent.

In Contractibus præscriptā mensuram excedentibus neq; à Capitulo in ijs, qui eius concessu fiunt, neq; ab Ordinario in reliquis omnibus auctoritas, & decretum interponatur.

Harum alienationum instrumenta à solis Notarijs curiæ Archiepiscopalis conficiantur: à Capituli autem Notario tum solū cum de Canonicorum, & Cappellanorum alienationibus agitur.

Si quis alius Notarius absq; Ordinarij scripta facultate adhibeatur, contractus uiribus careat. Notarius vero, & qui alienat Ordinarij iudicio plectantur.

Sed ne ob nimiam Notariorum cupiditatem ultra modū procedatur, taxatio horum instrumentorum conficiendorum, & eorundem exemplorum in publica tabella præscribatur.

Quam-

Quamquam autem pro comperto habendum, nedum sperandũ est, communiter omnes, separatim vero Cappellanorũ Massam, Moniales, earumq; prouidos, ac solertes vocatos Operarios, vt suarum partium, ac propria salutis memores, aut nullas alienationes, quomuis à finibus præscriptis non discedant, esse molituros, aut illis præsentes non esse ad futuros absq; Ordinarij concessu, & consensione: decreuere nihilominus, omnibusq; communiter præcipere visum est, vt quæ hic sancita, & constituta sunt, ipsi quoq;, vt aiunt, sarta tecta conseruet. Si spernant, & contumaciter agant, vltra pœnas supra statutas, quicquid etiam pro introitu datum est, & primam pensionem exigendam statim amĩsisse intelligantur.

De Ecclesiasticorum bonorum Inuentario. Cap. V.

VT ex rerum Ecclesiasticarum naufragio reliquiæ vndiq; collectæ, atq; aggregatæ in tuto, quantum fieri potest collocentur:

Ab Ecclesiarum, Monasteriorum, & quorumcunq; Piorum locorum Rectoribus, Gubernatoribus, & Administratoribus Repertorium, quod vulgo Inuentarium appellatur, omnium & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, fundos, agros, domos, iura, actiones, redditus, vasa sacra, vestes, supellectilia, & id genus alia ad eorum Ecclesias, uel pia loca quomodolibet pertinentia fideliter complectens ad sex menses conficiatur: & Ordinario, ad quem illorum prouisio, collatio, seu institutio pertinet, tradatur.

In negligentes Ordinarius suo arbitratu animaduertat.

Qui uero in futurum illa ipsa quoquo modo abtinuerint, idem infra annum à die adepta possessionis omnino præstent. Secus qui fecerint non solum eadem ratione puniantur, sed fructibus etiam, & prouentibus quibuscunq; sint eo ipso priuati.

Fraudem autem in eo conficiendo admittentes, excommunicationis gladio insuper feriantur.

Vacantibus Ecclesijs per resignationem, vel obitum, vel decessum; bona illarum mobilia, vel se mouentia, & supellectilia sine Ordinarij scripta facultate ne amoueantur.

Amouentes ea ipsa bona, vel illorum pretium amittant.

De Operariorum, aliorumq; satisdatione. Cap. VI.

AEditui, seu, vt aiunt, Ecclesiarum Operarij illi, qui facti sui rationem soli Ordinario probare tenentur, non solum ad calculos, præsente Ecclesiarum Rectore, eorumue Vicario, in fine vocentur: sed etiam ante muneris aggressionem coram eodem Ordinario satisdare compellantur. Sponsorem non dantes munere exuti sint; alijq; eorum loco sufficiantur.

Onus deponentes, siquid residuum in eorum manibus repertum sit, infra mensem à die calculi successoribus soluisse, aut in Ecclesiæ vtilitatem, vel ornatum, prout magis eisdem successoribus visum fuerit, se insumpsisse doceant.

Post mensem exactum Rectores Ecclesiarum illos (si pecuniã non dependisse, aut non insumpsisse comperiant) auctoritate Ordinarij ad idem compellant: ipsiq; in Ecclesiæ necessitatem, vel ornatũ quicquid inde perceperint trium mensiũ spatio impẽdant: Et Ordinarium de facta impensa statim faciant certiorem.

Ad hæc omnia præstanda in manibus Ordinarij teneantur etiã Antesignani, seu, vt vocantur, Capitanei, Gubernatores, Camerarij, alijq; Administratores sodalitatum, vel Confraternitatum quarumcunq; si bona propria, aut redditus habeant: & Ordinariæ iurisdictioni subijciantur.

Tit. X.
De Diuini cultus Administratoribus. & primò de ijs quæ ad Clericos pertinent. De eorum vita, & honestate. Cap. I.

VT certior est oculorum, quam aurium fides: ita quoq; efficacior est quæ exemplis, quam quæ præceptis percipitur institutio. Clerici igitur, & qui se diuino ministerio dedicarũt, & qui ob Sacerdotij dignitatem, & potestatem alijs non modo præstant, sed etiam probe, ac religiose instruendis præsunt; ad doctrinam, & rerum sacrarum administrationem claram etiam, & illustria vitæ, & conuersationis exempla adiungere opus habent. Ne dum vulneribus aliorum medendis destinantur, sese ipsi telo peccati transfigant; & alij ipsorum contagione corrupti omnem

pietatem

pietatem abijciant. Quippe nullus grauior morbus est, quam qui à capite diffunditur.

De Clericis Seminarij.

Ceterum vt arbustum bene constituere volenti seminarium prius facere opus est: ita ad rerum Diuinarum optimos administros deligendos, & ad Cleri disciplinam in Ecclesia propagandam, nō vtile solum, sed necessarium quoq; est illud Clericorum non ab re vocatum Seminarium. Ex eo .n. plantę, prout ibi satæ fuerint, huc illuc per Diœcesim transferentur. De quo cum Concilium Tridentinum omnia opportuna affatim, & saluberrime decreuerit, ab illius Decretis (quantum fieri potest) ne discedatur.

Sess. 23 c. 18 de Reform.

Ibi ergo lectorum adolescentium ętas ad pietatem, & religionem informetur: qui tonsura, & Clericali habitu vtentes Grammaticam præsertim, Catechismum Romanum, & Musicam doceantur: singulisq; mensibus peccata confiteantur, & iudicio Confessarij ab Illustrissimo Præsule eisdem præscribendi communicent.

Vt uero ad bonas artes, & ad uirtutem magis inuitentur; assensu, & peculiari approbatione Illustrissimi, ac Reuerendissimi Archiepiscopi decernitur: vt in futurum, (sicut admodum Reuerendi DD. Canonici olim decreuisse dicuntur, vt Cappellę ad liberam Capituli collationem pertinentes non nisi Clericis eiusdem Seminarij conferantur, qui examinati alios non modo literis, & cantu, sed moribus etiam anteire consebuntur) ita de Cappellis Maioris Ecclesiæ ad liberam Archiepiscopi collationem spectantibus ijdem solum Clerici prouideantur, quos ipse de literatura, musica, & moribus examinatos magis inuenerit idoneos. Hac lege tamen vt inter eos censeantur & illi, qui Caputio, vt vocant, decorati ad sacrum Archiepiscopi famulatum ab eodem Capitulo destinantur.

De Clericis, qui vel Beneficia, vel sacros Ordines habent.

Qui vero aut ratione beneficij, aut sacri Ordinis, & Sacerdotij præstantia altius iam euecti sunt, manus illud cum dignitate tueantur.

Et ne in aliquam turpitudinem dilabantur orationibus insistant; pensumq; diuini Officij ad normam Kalendarij Metropolitanæ Ecclesiæ quotidie religiose persoluant.

Ab auaritia, quæ omnium malorum radix est, & quæ Clericos Deo, ac populis suis reddit exosos cùm alibi semper, tum potissimum in muneribus sacris obeundis longissime absint.

Mercaturam, & cuiuscunq; generis negotiationem ne exerceant: neue in negotiationibus, & mercatureis se interpretes, aut medios interponant.

Aliena bona lucri causa ne conducant.

Eos quoq; alienorum negotiorum procuratio absq; Illustrissimi concessu implicatos, varieq, constrictos ne detineat.

Tutelam, & curam, praterquam suorum, ne suscipiant.

Pro nemine fide iubeant.

Laicis, nisi in ijs, qua Sacerdotali munere ab Ordinario non censebuntur indigna, ne inseruiant.

a. Eccles. 3. *Quoniam vero a. qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, ideo improborum omnium fugiant consuetudinem.*

Sobrietatis sint, non comessationum, & ebrietatū amatores.

In diebus festis, ne solemnibus suarum Ecclesiarum agendis laicos conniuas ne habeant.

Immoderatis, minusq; honestis conuiuijs ne delectentur, neue intersint.

Laicos conuiuia agentes nec cantu, nec symphonia delectent.

Cauponas, & tabernas etiam vinarias fugiant; & absq; necessitate ne ingrediantur.

Cumque Mundo, Angelis, & hominibus spectaculum fieri debeant propter Christum; ob eam ipsam causam nec personati incedant; nec militari, aliove profano habitu induti, ludo se immisceant, quem Pontis appellant. Choreas publicas, aut priuatas ne agant. Fabulis, alijsue profanis, & inanibus spectaculis ne intersint.

Ab omni genere ludi, prasertim vero alea, pictarum pagellarum, tesserarum, talorum vbique abstineant.

Ludentes suis in adibus, atrijs, alijsue locis ne permittant.

Ludorum etiam spectatores ne sint.

Cum autem suspecti temporis ratione maior delicti prasumptio insurgat; male.n. agens odit lucem: idcirco Clerici iusta, & rationabili causa domo exeuntes, & noctuabundi, astiuo tempore à tertia, hyemali vero à sexta noctis hora absq; lumine ne incedant.

De ijs, qui in pramissis aliquo modo deliquerint, Ordinarius pro criminis, & personarum qualitate pœnas sumat.

Arma noctu, vel interdiu, praterquā itineris causa, ne deferāt.

Defe-

Deferentes (exceptis paruis gladijs ad domesticum vitæ vsum accomodatis) quatuor aureis, & Ordinarij arbitratu mulctetur.

Et quia de nocte Clericis ad confitendum Deo surgendum est, non ad amatorias leuitates, & cantiunculas fidibus, uel uoce insusurrandas: propterea nec ad fidium, aut neruorum, aut tibiarum, aut cuiuscunq; alterius musici instrumenti, uel vocis armoniam; nec sine concentu ipsi per se noctu, aut paulo ante lucem eiusmodi cantilenis vias, & vicinias faciant personare.

Eo etiam modo canentibus ne adsint, ueue quacunq; ratione faueant.

Si quid horum facere deprehendantur, vltra multam iudicio Ordinarij infligendam, contrudantur in carcerem, & per mensem à diuinis suspendantur.

In criminosos, & facinorosos iure agatur.

De Habitu Clericorum. Cap. II.

Quandoquidem per decentiam habitus externi intrinseca etiam morum honestas ostenditur: Omnes Ecclesiasticæ personę, quę aut sacris initiatæ sunt, aut dignitates, personatus, officia, beneficiaue qualiacunq; Ecclesiastica, etiam simplicia obtinent, clericalem habitum deferant ordini suo, ac dignitati respondentem: pœnas (nisi paruerint) subiturę, quas & Sacri Canones, Conciliumq; Tridentinum decreuere, & Ordinarij insuper iudicium præscribet. Cõcil Trid. Sess. 14. c. 6. de Reform.

Clericalem tonsuram, militiæ spiritualis insigne, dignitati cuiusq; respondentem conspicue deferant.

Comam, aut barbam ne studiose nutriant; sed capillis simplicem cultum adhibeant.

In omni vestitu nigro colore vtantur, nisi dignitatis gradus alium fortasse requirat.

In eodem nec nouitatem, aut studiosam cultus elegantiam persequantur; nec squalorem, aut sordes affectent.

Vtraq; vestis externa, & interior simplex sit, & talaris.

In itinere, etsi breuior esse potest, ordini tamen, ac dignitati respondeat.

Ruri etiam degentes Clerici illum sibi habitum induant, præsertim in Ciuitatibus, locisq; insignibus, quo à laicis facile dignoscantur.

In Ec-

In Ecclesiis tamen, & in rebus sacris peragendis talari semper veste amicti sint.

Turgi lis caligis, dissectisq; & minus honesti coloris nemo non se abstineat.

Annulum respuant; nisi is ob officij munus, honorisue gradum iure eisdem concessus sit.

De Clericorum residentia. Cap. III.

NE quis in proprio salute procuranda adeo negligens sit, & in superiores ita contumax, vt veterum Canonum, & Concilij Tridentini decreta, Maximorumq; Pontificum a. Pij IV. & b. Pij V. Constitutiones, & ipso contemnens in beneficio, prout debet, non resideat: in memoriam reuocatur, simulq; districte præcipitur omnibus obtinentibus Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus, seu Prebendas, aut alia quæuis Beneficia Ecclesiastica, quæ Iure, vel consuetudine personalem requirunt residentiam, vt ad tres menses à Constitutionum promulgatione numerandos, quorum vnus pro primo, alter pro secundo, & tertius pro vltimo, & peremptorio termino eisdem assignatur, suis in Ecclesijs, vel Beneficijs ex præscriptione Concilij Tridentini, eorumdemque Summorum Pontificum omnino resideant. Quod si præstare paruiduxerint, præter pœnas non residentibus propositas, eorum beneficia iure ipso vacasse; ipsiq; non residentes, post illud tempus elapsum, subito ijsdem priuati declarantur.

a. An. 1564. die 14. Decemb. In Supremæ.

b. An. 1568. die 15. Julij. Cupientes.

Hoc tamen decreto haud comprehensi intelliguntur docentes Sacram Scripturam, dum in Scholis publice docuerint: & qui studiorum causa de licentia Ordinarij Scholas publicas frequentant. Hos n. priuilegijs omnibus de perceptione fructuum Prebendarum, & Beneficiorum suorum in absentia à iure communi concessis plene gaudere, & frui posse ex Decreto Concilij Tridentini decernitur.

Sess. V. c. 2. de Refor.

Vt vero fraudibus via præcludatur: quicunque, quod optimarum artium studijs erudiri veliot, distributionum duas tertias partes iure lucrari contendunt; nisi ad quinquennium ab eo die numerandum, quo eos in publico Gymnasio Theologiæ, aut Sacris Canonibus constet operam dare cœpisse, de clericis insignibus decorentur, Capitulo, vel Massæ distributiones omnes studiorum

causa

causa perceptas restituant. Eamq; ob rem fideiussoribus à principio datis Ordinarij iudicio caueant.

Rectores autem quorumcunq; Parochialium, seu Curatarum Ecclesiarum, ne mercenariorum more oues sibi commissas deseruisse videantur; ad unum sem in Ecclesiarum ædibus habitent, ibiq; ibi, & somnum capiant.

Si ex causa necessaria aliud fieri opus sit, Archiepiscopus consulatur.

Quod si non adsit domus ad Parochi vsum destinata, aliam in Parochia, si possibile sit; sin minus in eius finibus, nec alibi conducant.

Non obsequentes, preterquamquod fructus non facient suos, sed illos restituant oportebit; Beneficijs etiam priuabuntur, prout eos priuandos esse hic decernitur.

Parochi, si absq; Ordinarij permissu vltra quatriduum vel à Ciuitate, vel à Cura, vel à Diœcesi discedant, tametsi animarum curam alteri commendauerint, primo quatuor aureos pendant: secundo autem loco grauius iudicio Ordinarij mulctentur.

Vt uero in officio magis contineantur illi, qui extra urbem degant, Plebanis ad Dei honorem, & populorum salutem iudicitur, vt quos in suis Ecclesijs non residere, aut diutius ab eis abesse cognouerint, earum nomina ad Ordinarium deferant. Sin minus pœnas eius arbitrio luant.

Diœcesani animarum curatores, si absq; Ordinarij facultate semel in Vrbe pernoctauerint, in carcerem contrudantur. si iterum, ac sæpius grauiori pœna iudicio eiusdem Ordinarij afficiantur.

Dum necessitas vrgeat, vt ad modicum tempus à Cura discedendum sit, ea semper diligentissime cuipiam commendetur: ne vnquam negligentiæ nomine accusari, aut suspecti esse possint.

Qui Ecclesiam Parochialem extra muros Vrbis sitam vna cũ Canonicatu, aut Cappellania, quæ seruitio Chori in Ecclesia Metropolitana obnoxia sit, legitime obtinet; is distributiones quotidianas vt Constitutionis a. Pij V. ne percipiat.

De Clericorum interuentu in Choro. Cap. IV.

INdignissimum est, & à ratione, imo & à Religione valde alienum, vt qui Ecclesiæ fructibus aluntur, eiusq; bonis ingiter per-

a. De Residentia. Cum initium. Cupientes. An. 1568. die 25. Iunij.

perfruuntur, nunquã tamen eidẽ Ecclesiæ in diuinis seruire dispiciãtur: veluntq; potius nulla inter loicos, quã aliqua inter Clericos dignitate esse. Quasi eos pudeat illum habitũ induere, de quo maxime gloriarentur oporteret. Idcirco vt ad aliquam saltẽ erga Deũ, & Ecclesiã grati animi memoriã reuocẽtur, nec populus inde amplius tam insigniter indignetur, eos primam in Domino vehementer adhortari, ac mouere placet, vt ei, cui seruire regnare est, non erubescant famulari: deinde etiam omni studio communiter, & separatim præcipere omnibus, ac singulis Ecclesiæ Metropolitanæ Dignitatibus, Canonicis, Cappellanis, Commendatarys, Titularibus, & Clericis Seminary, alysq; quocunq; nomine appellatis in hac Vrbe commorantibus, vt (nisi legitime præpediti sint, ac frequentius id præstare debeant) decenti, & propria eorum habitu induti Diuinis in Choro intersint dum Missa saltem, & Vesperæ decantãtur solemnibus hisce diebus: videlicet

In Festo Omnium Sanctorum.

In Natiuitate Domini, & duobus alijs seqaentibus diebus.

In Epiphania.

Quarta insuper, quinta, & Sextaferia Hebdomadæ sanctæ.

In die sancto Paschæ, & duobus sequentibus diebus.

In Pentecoste, duobusq; etiam sequentibus diebus.

In die Corporis Christi.

In Annunciatione, & Assumptione B. M A R I AE; necnõ Ia publicis omnibus, & solemnibus processionibus.

Si quis autem faciat contra, ac præscriptum est, toties aurum dependat, quoties huic muneri deerit.

Quæ pœna in eos quoq; diffundatur, qui ad eandem Ecclesiam alys Festis diebus accedentes, nec decenti habitu induuntur, nec Choro, dum diuina celebrantur, præsentes adsunt.

Et quoniam veteribus etiam Constitutionibus, & laudabili consuetudini mos gerendus est: ideo Parochi omnes huiusce Diœcesis (non tamen monialium ararum) semel in anno in anniuersaria Consecrationis Metropolitanæ Ecclesiæ VI. Kal. Octob. superpelliceo, earumq; insignibus induti non solum se Ordinario sistant, vocatiq; respondeant; sed etiam Choro assistant: Vrbani scilicet, & Suburbani à primis Vesperis ad laudes vsq. peractas: Diœcesani vero ab introitu Missæ vsq; ad finẽ Processionis. Ad quam hi omnes, & singuli, nullo excepto, procedant.

In

In his si quis delinquat, siquidem Plebanus, vel Præpositus sit aureo, si simplex Parochus aurei dimidio mulctetur.

De Virginibus Diuino cultui addictis, hoc est de Monialibus. Cap. V.

Valde quidem in Domino hortandæ sunt sacræ Virgines, vt cum opes, & se totas corporibus, atq; animis in Dei cultum, & Religionem voto solemni contulerint; in promissis & fide firmiores non solum quæ voto tenentur, sed Regulam etiam, quam professæ sunt, diligenter, ac iugiter seruent: Chorum frequentent; officium Diuinum persoluant; nec à silentij, & dormiendi ratione discedant: fores clausas, & occlusas constanter habere; easq; non possim, sed tum demum, cum necessitate premuntur, sat habeant aperire: maiores natu, & Præfectas honorifice tractent; Professasq; Conuersæ debita prosequantur reuerentia: omnesq; simul intelligant, quod a. plenitudo legis est dilectio; & b. finis præcepti Charitas. Eamque ob rem se mutuo c. diligant: nam diligere proximum tanquam se ipsum maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs: Præterquamquod d. qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo. Hac n. ratione fiet, vt magis, ac magis in religione proficientes, se tandem in portum salutis, Deo auxiliante, recipiant. a. Rom. 13. b. 1 Tim. 1. c. Marc. 12. d. Ioã. Epist. 1. 4.

Ad Dei itaq; gloriam, ad Religionis honestatem, & ad illarum profectum eisdem quoque præcipitur.

1 *Ad Crates, & collocutoria absq; Præfectæ benedictione, & concessu ne accedant.*

2 *Eleemosynas ne faciant: neue quicquam exterioribus largiantur; aut inde recipiant absq; eiusdem Præfectæ benedictione, & permissu.*

3 *Esculenta, & poculenta ad Crates, vel fores, vt cum exterisedant, bibantq; ne apparent.*

4 *Clausuræ claues apud Monasterij Præfectam iugiter asseruentur.*

5 *Fores Collocutoriorum, quæ è publica via aperiuntur, & claudantur nec ante diem pateant, nec post vicesimam quartam diei horam.*

6 *Collocutoria exteriora fores ne habeant, quæ possint occludi, sed omnia sint aperta.*

7 *Literas, Schedalasue quascunq; sine Præfectę concessu ne scribant: scriptas ne mittant: ad se datas ne legant, nisi ab eadem Præfecta perlectæ sint. Superiorum tamen, parentum fratrumq; germanorum literæ siue datæ, siue acceptæ excipiantur.*

8 *Comœdias, aut Repræsentationes ne agant; nisi quas Confessarij approberint. Ad fores tamen, vel ad Crates personatæ, vel ijs vestibus indutæ, quibus in Comœdijs, Repræsentationib. ue agēdis vsuræ sunt, ne adeant.*

9 *Nummos sibi ne habeant, sed eos apud monasterium communiter deponant. Et nihilominus Præfecta ad quotidianos vsus paucos eisdem concedere valeat.*

10 *Cameraria librum habeant ad hunc vsum destinatum, in quem redditus, qui nomine alicuius Monialis, vel dum ipsa vixerit ad Monasterium proueniant, referantur. Ipsaq; solum quarumcunq; rerum receptarum scriptum conficiant testimonium.*

11 *Impensas insuetas, si centum aureorum summam attigerint, Monasteriorum Præfecta ne faciat, nisi Monialium assensus per secreta vota legitime exploratus eò accesserit, & Ordinarius insuper consulatur.*

12 *Eligantur quotannis duæ Moniales Professæ, totidēq; auxiliatrices Conuersæ, quæ ægrotantium sororum omni studio ac diligentia curam gerant: Monasterijq; impensa prouideant, ne quid illis desit; sed medicina, aliaue res necessaria ad illarū morbos curandos, & valetudinē consequendam suppeditentur. Dummodo pharmaca, & medicamenta ab aromatarijs, & pharmacopolis sui Monasterij recipiantur.*

13 *Nouitiarum Magistra, & illius Coadiutrix singulis annis deligantur, (vbi non vigeat consuetudo, vt longiori tempore huic muneri, atq; officio præsint) quibus ex munere incumbat Nouitias vsq; ad professionem instituere, religiosisq; moribus informare; simulq; curare, vt in Choro præsertim, & proprio refectionis loco se decenter habeant.*

14 *Vbi contigerit ex illis aliquam è vita decedere; aliamue in eius, vel alterius locum subrogari, aut quouis modo in Monialium numerum adscribi, isthæc omnia Superiori significare ne prætermittant.*

15 *Siquando ad iurgia, seu contentiones, & rixas concitentur; Præfecta absq; mora earum animos blande, alijsue modis*

conci-

conciliare nitatur; Quod si intra diem pacē animis afferre, eosq; concordia placare non voleat, postridie ea de re certiorem faciat Superiorem.

Hae quippe virtute sanctissimę Obedientia communiter omnibus praecipiuntur; ad pœnam vsq. lætalis culpę earum conscientias onerando, quæ consulto, & malitiose aut dicto audientes non fuerint, aut contra ea fecerint.

16 *Quæ uero literas, uel munera ad Religiosos uiros Regulares miserint, aut ab eisdem receperint, eo ipso excommunicatæ sint: nec nisi ab Archiepiscopo absoluantur.*

Quibus tamen haud interdictum esse credatur, quominus & Prædicatores, & Confessarios ex more, de seniorum, Discretorūq; consensu, aut de voluntate maioris partis Monialium, benigne, ac liberaliter tractare voleant.

17 *Ad religionis indumenta ne quæ virgo in posterum admittatur priusquam dotis, seu eleemosynæ pecunia apud publicum Montem Pietatis in hac eadem Vrbe deposita sit.*

18 *Puellas, quarū ipsæ sunt educatrices, nec nimio cultu, nec samptuoso, ac molli vestitu ornari permittant, sed eo solum, quō loci modestio, & sanctitado desiderat.*

19 *Abbatissa tandem, Priorissa, uel quæcunq; alia Monasteriorum Præfecta cum primum intellexerit, aut nomine alicuius puellæ, aut ab ipsamet puella, quæ educationis causa in suo Monasterio commoretur, sponsalia fuisse contracta; eam vna, vel ad summum altera die in Monasterio esse permittat, nec tamen ad fores, vel ad Crates accedere sinat. Quod si parentes, vel eos, quos hoc negotium tangit, puellam non educere videat, rem ad Ordinarium deferat; qui canonicis pœnis negligentes ad hoc præstandum compellat.*

Præfecta huic decreto nō parens, suspensionē ea ipsa incurrat.

Tit. XI.
De ijs, quæ ad lites, & Causas, Cap. I.

S*I Iustitiæ uinculum, quo hominum multitudo in unius populi corpus coalescit, abrumpatur; omnis cœtus dissoluitur; & Pax, animiq; illa ordinata concordia, qua secum homines, & cum Deo, & cum proximo consentiunt, disiungitur. Vt enim*

F ii Iustitia.

Iustitia, quę virtutum omnium mater est, hamines inter ipsos optime iungit: ita Iniustitia, & iniuria, tetra vitiorum lerna, eosdem à se inuicem pessime deiungit. Hinc .n. discordia, rixa, odia, cædes nascuntur. Hinc animæ pretioso Christi sanguine dealbatæ decolorantur, assertaq; in libertatem pristinæ mancipantur seruituti. Hinc tandem innumeræ seruntur lites, quæ vafro sæpius Caussidicorum ingenia satæ, & ad quæstum, & lucrũ in diẽs productæ, & altæ, ciuitatum tum animos salicitu line vexant, tũ facultates tam valde exauriunt, vt ad eas lacunas expleudas rapinę frequenter, artesq; iniquæ, & illicitę excogitentur. Erga vt papulus ab hisce maleslys, summisq; malis ad Pacis bonum, & Cancordiæ tranquillitatem, quantum per nas fieri potest, reuocetur; ubusuumq; telę, quę ex tam magno litium stamine, & subtegmine texuntur, cisissime incidantur, hæc ad lites, earumq; breuitatem decreta sunta.

Sess. 24. c. 20. de ref. form. *In caussis amnibus ad forum Ecclesiasticũ quomodolibet pertinentibus, atq; ex Cancily Tridentini Decreta in prima instantia caram Illustrissima vel eius Vicario cognascendis, amninoq; à die motę litis infra biennium saltem terminandis, à præscripta eiusdem Concily formula ne recedatur.*

De foro competenti. Cap. II.

AD forum autem Ecclesiasticũ pertinere intelligantur caussa omnes Clericorum, Religiasarum persanarum, Societatum, Operariorum, Hospitalium, Hermitarum, & amnium, ac quorumcunq; Piarum locorum quomodolibet, semper, & quoties super illis agendum sit.

Causę quoq; vsurariorum, simulatorum contractuum, vsurariamue prauitatem quacunq; ratione sapientes: Decimarum, Matrimoniarum, Beneficiarum, Hęresis, Simanię, Sacrilegy, Iurispatranatus, & aliæ deniq; amnes, quæ Iure, vel consuetudine Ecclesiasticę solent iudicari.

In his singulis (nisi Ordinarius patestatem faciat) processus coram quocunq; Iudice sæculari confecti, sententiaq; lata nec robur habeant, nec iudiciũ etiã facere possint in Ecclesiastica iuditio.

Clerici, & Religiasæ persona neq; agenda, neq; testificando, neq; alio quouis modo sæculari se foro subyciant sine Ordinary

post

post maturam causæ cognitionem, scripta permissu. Secus agentibus decem librarum mulcta irrogata sit. Quod si, postquã monitì fuerint, ab incepto non destiterint; multam longe maiorem Ordinarij arbitratu sufferant. Et nihilominus acta absq; ea permissione confecta, fabricatiq; processus iure ipso viribus, & robore careant.

Causæ mixti fori. Cap. III.

IN causis Dotis, Viduarum, Pupillorum, & Miserandarum personarum, nec non solutionis piè legatorum, Periurij, aliorumq; omnium criminum, quæ mixti fori iudicari solent, præuentioni locus sit. Eamq; ob rem satis punitus in foro Ecclesiastico, in sæculari nulla ratione plecti valeat.

Quid agendum sit quando Clericus cedit iura sua laico, vel è contra. Cap. IIII.

QVando laicus contra laicum Iura, & actiones cedit Clerico, vel alteri Ecclesiasticæ personę; si id faciat post litem coram Iudice sæculari iam inceptam, lis eorum eodem terminetur, nec vllo cessionis prætextu à sæculari Iudice auocetur. Sin vero ante iudicium inchoatum Iura concesserit, & actiones; aut si iusta aliqua cedendi causa subsit, quæ præsumptionem verisimilitudine excludat, (quod Iudicis arbitrio relictum sit) tum causa auocari possit.

Aliter vero facta cessio, vt dolosa, & fraudolenta nihil roboris habeat. Clericus autem, & Religiosa persona illi consentiens quinque aureos eo ipso pendat.

Quæ sane Constitutio eodem modo, parique passu procedat vbi Clerici, & Religiosa personę, ad Ecclesiasticum forum declinandum, Iura, & actiones, quæ sibi competunt, laicis concessisse deprehenduntur.

Quid quando nominatur Clericus à laico. Cap. V.

REa in iudicio sæculari Clericum nominante hæc seruentur; Si vt defensorem nominet, verbi gratia in causa euictionis; idq; ante litem contestatam, vel quasi: tum Clericus inde causam

ad forum Ecclesiasticum auocet: post litem cõtestatum ne auocet.

Si autem vt dominum, & possessorem nominet, cognitio semper, & quandocunq; ad Iudicem Ecclesiasticum pertineat. auoceturq; . Causa à sæculari cum inhibitione in forma. Iura siquidem non permittunt, laicos de Clericorum rebus iudicare.

Quod si eum nominet in Dominum tantum legitima apud aliũ possessione manente, vt cum laicus emphiteuta, vel vsufructuarius est, Clericus autem directus Dominus; & agitur simpliciter ad fructus consequendos; tunc ei nulla ratione prosit nominatio, sed causa coram Iudice sæculari absoluatur.

Sed si rei vendicatione actum sit, vel etiam vt rei possessio habeatur aut per tenutam, vt dicitur, aut per quodcunq; aliud remedium extra casus antedictos: Causa ad Ecclesiasticum Iudicem aduocari possit. Licet n. eo casu contra iura laici videatur agi, quærendo ob eo possessionem, quam habet, amoueri: attamen Clerici interest non mutare possessorem ijs in rebus, quæ ad eum directo iure pertinent; ne dariores in euentum caducitatis inueniat detentores. Præterquam quod has Domini possessiones, cum partem ad se trahant, iniquum est, sine Ecclesiastici auctoritate cuiquam adiudicari.

Quando vero possessionis causa agitatur contra laicum in suo foro, & Clericus vt tertius possessor comparet. si possessio Clerici directè, uel indirectè prouenit à Reo conuento post motum iudicium; uel etiam ante motum iudicium duas menses tum, cum lis esse mouenda credabatur: Causa coram Iudice laico agitetur; nisi Clericus ostendat se ante motum iudicium iuste, & certo ratione rem à laico habuisse.

At si causa allegata à Clerico possessionis nec directè, neq; indirectè à Reo conuento, sed aliunde pendeat: aut siquidem à Reo pendeat, proueniat tamen ex alijs causis extra casus præmissos: tum causa amoueri posse decernitur.

De Causarum inhibitionibus. Cap. VI.

QVoniam Ecclesiasticus ordo confunditur, nisi sua cuiq; iurisdictio asseruetur: idcirco Iudex Ecclesiasticus cum primum requiritur, possit, debeatq; causas quascunq; Ecclesiasticas, & spirituales coram sæculari Iudice quomodocunq; sine prima-

rio

ria loco, siue ex euentu incoeptas, inhibendo ex more sub pœnis, & censuris, ad forum Ecclesiasticum reuocare.

In eam tamen curam diligentissime incumbat, ne quicquam fraudis in huiusmodi auocationibus, & inhibitionibus à litigatoribus committatur. Ad Ecclesiasticam n. iurisdictionem quæsito vsurarum colore sæpe confugiunt, non nisi vt cœpti iudicij censuram euadant, & res in longum protrahatur. Hanc igitur ob rem nunquam inhibeat, quin prius partem citauerit, atq; summatim vel ab instrumentis, vel à testibus, alijsue coniecturis ita informatus sit, vt existimet causam illam ad Ecclesiasticam iurisdictionem re uera pertinere. Si secus egerit periurus habeatur.

Inhibitio autem simpliciter absq; vlla termini prefixione concedatur.

Tit. XII.
De Notarijs Actuarijs, Procuratoribus, & Scribis.

IN *Curia Archiepiscopali nequi Notarij causas agant, Procuratorisne officia fungantur; nequi etiam ad transcribendos, aut exemplandos processus ibidem admittantur; nisi ab Ordinario examinati, approbatiq; subscriptum ab admodum Reuerendo Domino Vicario suæ approbationis habeant testimonium.*

Sine eo agentes, & transcribentes pœna plectantur arbitraria.

Miserandarum personarum Notarij è sæculo extracti ad Christianę charitatis præscriptũ diligẽter, vbi requirũtur, eas defendãt.

Qui illud oneris ex causa subire nequibunt, eam cum Ordinario conferant, & quod ille censuerit esse opportunum fiat.

Contra hæc facientes ex Archiepiscopali Curia eijciantur: nec Procuratoris officium in ea amplius exercere sinantur.

Quæ autem dicendę, & habendę sint personę miserandę ab Illustrissimo vel eius Vicario tum, cum opus est declaretur.

Ad causas in eadem Curia nullus Procurator admittatur, nisi à principio, vel secundo saltem termino, quo in iudicio comparet, parte etiam non petente, legitimum suæ procurationis mandatum producat.

Notarij Curię Archiepiscopalis omnia, & singula instrumenta, documenta, & scripturas quascunq; publicas, & priuatas in iudicio productas (non tamen processus, seu publica acta iudiciaria iudicialiter, vt aiunt, fabricata coram eodem, vel alio qua-

uis

uis Iudice) in acta Curiæ, postquam debitum sibi salarium solutum sit, referant, & apud ea, vt dicitur, registrent: Vt post finem fabricati processus omnia, & singula Iudici tradantur: & partes suis sumptibus quarumcunq; rerum exemplum habere valeant.

Scripturas originales cuipiam ne commodent: sed apud se iugiter habeant.

Animo autem rehabendi productas, atq; exibitas tum demum parti producenti restituant, cum in acta curiæ retulerint, seu registrauerint.

Notarius quoties in his delinquat, toties aureo multetur.

In causis vero minoribus summam septuaginta librarum non excedentibus, & in executiuis, per simplicis præcepti viam procedi valeat. Nec opus sit instrumenta, & iura huiuscemodi in acta curiæ referre: dummodo Iudici originalia ipsa ostendantur.

Ne autem litigatores vllo pacto de mandatis, monitis, citationibus, atq; intimationibus factis hæsitare valeant: Quilibet Archiepiscopalis Curiæ Notarius proprium librum habeat Monitoriorum titulo inscriptum, vbi mandata, monita, citationes, intimationesq; huiuscemodi, atq; alia necessaria in causis, quarum ipse Actuarius fuerit, primo describat, & adnotet; deinde exempla conficiat, & Nuncio tradat.

Nuncius accurate executurus, postquam monuerit, citauerit, intimauerit, exemplum parti tradat, ne relinquat: deinde vero apud acta eidē Notario referat quicquid executioni demādauerit.

Nuncij autem relatio statim in eum librum prope originalia ab eodem Notario referatur.

Si quis autem siue Notarius, siue Nuncius hæc fideliter, atq; integre non adimpleuerit, ad mensem integrum ab officio suspensus sit, & Iudicis arbitratu puniatur.

In causis ordinarijs, quas vnus eiusdem Curiæ Notarius inchoauerit, nemo aliorum aut scribat, aut acta conficiat, sed qui eas incœpit, ille ipse persequatur, perficiat, & absoluat. Nec recusari possit, nisi suspicionis causa, quæ superuenisse dicitur, à Iudice, instante parte, approbetur

Ad euitandas autem, vt decet, in foro præsertim Ecclesiastico, non modo fraudes, sed & fraudum suspiciones, quæ non minus contra Notarios, quam contra Iudices persæpe exoriuntur. Notarij

rarij suo in prima instantia corã Ordinario, siue in secunda, alijsue vlterioribus coram quocunq; Iudice Delegato, Procuratoris officium ne exerceat in causa, in quo aut is, qui in eadem apotheca commoratur, aut eorum consanguineus vsq; ad secundum gradum aduarius sit; nec è conuerso. Experientia etenim compertum est, filium non sine scandalo, & suspicione Aduarium fuisse in causa, in qua pater Procuratoris officio fungebatur.

Quotiescunq; contra, ac præscriptum est, fecerint, toties decem aureorum pœna afficiantur. In quam (si Notarij illam fortasse pendere non possint) Indices, qui id permiserint, vocentur.

Resignationes Beneficiorum, collationes, prouisiones, institutiones, ac illorum possessiones: infeudationes præterea bonorum immobilium Pisani Archiepiscopatus, decretorumq; interpositiones ne conficiantur, neue vt dicunt rogentur, nisi, de Illustrissimi vel illius Vicarij mandato, à Notarijs Curiæ Archiepiscopalis, aut à Procuratoribus Fiscalibus.

Scriptura aliter confecta, fidem in eodem curia ne faciant.

Notarij autem sub pœna excommunicationis, & suspensionis ad mensem à perceptione emolumentorum officij, intra quindecim dies à die quo rogati sunt computandos, vel quando ipsi Domino Vicario, aut Archiepiscopalibus agentibus collibuerit, referant in libros, seu in librum eiusdem Archiepiscopatus ad hac peculiariter deputandum omnes & singulos contractus de eiusmodi resignationibus, collationibus, prouisionibus, institutionibus, possessionibus; nec non de infeudationibus, ac decretorum interpositionibus confectos, & de quibus ipsi rogati sunt.

Emphiteuticos autem, feudales, & permutationum cõtractus ad Archiepiscopum pertinentes, quos à die electionis Illustrissimi, ac Reuerendissimi rogati conscripserunt, neq; hucusq; tamen in eum librum retulerunt, ijdem Notarij hinc ad sex menses; quos vero ante eandem electionem confecerunt hinc ad annum eo in libro describant, & publicent. Secus si agant, atq; præscriptum est, arbitratu Domini Vicarij excommunicentur, & ad mensem officio priuentur. Aequum .n. & iuri consonum est, vt ad perpetuam rei memoriam videri, & legi valeant.

Instrumenta eo in libro, vt supra descripta partibus requirentibus, illaq; sibi habere cupientibus, solus Notarius, qui de illis rogatus est, si viuat, publicet, ac tradat: ne vt dicitur alter me-

tot quod ille seminauit; neue alieni laboris quisquam præmium reportet. Quod si vita excesserit, ille demum publicet, cui à Domino Vicario ea prouincia demandabitur.

Quæ autem merces, quodue stipendium pro singulis actis, & gestis debeatur; in noua Tabella publice ad uidendum, & legendum in Curia apponenda præscribatur.

Notarij, qui de testamentis, alijsue vltimis voluntatibus rogati fuerint, nisi intra quindecim dies, post factam sibi potestatem iuxta leges Magnorum Etruriæ Ducum, legata omnia Ecclesijs, Hospitalibus, alijsue Pijs locis, aut Christi pauperibus, vel quocunq; modo ad pias causas facta, Illustrissimo, ac Reuerendissimo Præsuli, vel eius Vicario significauerint, & notificauerint; decem aureorum multa plectantur. Et hoc futura respiciat. Præteritorum n. quæ a tribus annis citra relicta sunt; queue ipsi crediunt, aut sciunt adhuc non fuisse impleta (dummodo testamentum morte confirmatum sit) nisi infra mensem Ordinario notitiam afferant, eandem pœnam ferant.

Ne vero pio legatorum memoria oblitteretur; apud Archiepiscopalis Curiæ Notarios liber sit, in quo eiusmodi legata describantur.

Scribendi formula ea erit, vt in librum referatur nomen testatoris, Legatariorũ, dies, annus, Notarius, seu Parochus, & testes.

Notario ob scribendi laborem pro quolibet legato quatuordecim solidi debeantur: quos illi persoluant, quibus legata relicta sunt.

Tit. XIII.
De Iudicijs. Cap. I.

C*Ausæ omnes Ecclesiasticæ tam ciuiles, quam criminales profanæ, & mixtæ qualis auctoritate, & quomodolibet coram Ordinario agitandæ (vt ad Constitutionem II. Clementis V. quæ incipit, Dispendiosam, aliqua accessio fiat) summariæ sint: atq; in omni earum instantia summatim, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij procedatur. Nec tamen ab ordine, qui sequitur, recedatur.*

De Interrogatorijs præparatorijs. Cap. II.

V*Bi iudex ex mero suo officio, aut ad partis instantiam existimauerit fore necessaria interrogatoria secundum Iuris disposi-*

dispositionē præparatoria, illa ante libelli oblationem fieri mādet. Quibus qui in Vrbe præsens est, uel qui ab ea non vltra milliare abest prima die; qui vero magis ab ea distat, tertia die, amotis procuratoribus, per se oretenus respondere teneatur. Eo non respondente Iudex pro confessis eadem haberi, pronunciare valeat.

Quomodo procedendum sit in causa excedente summam librarum septuaginta. Cap. III.

IN causis excedentibus summam librarū septuaginta si quis deinde uelit sua iura contra aliquem experiri, libellum, seu summariam petitionem Notario præbeat. Cuius postea libelli exemplum mittatur ad partem. Quæ simul citetur ad ei respondendum, & iurandum de calumnia intra triduum: cuius vna dies pro primo, altera pro secundo, & tertia pro tertio, & vltimo peremptorio termino eidem præscribatur: alias ad videndum præstari iuramentum de calumnia; & ad concedendum sibi terminū ad ponendum, & articulandum. Ex cuius termini assignatione lis pro contestata habeatur.

Quod si in contumaciam rei probauerit, docueritq; de Iure suo, sententiam diffinitiuam super causa principali obtineat. Nec deinceps aduersarius appellando audiatur, nisi prius, refectis omnibus expensis, meruerit absolutionis beneficium obtinere.

Sin autem Reus in termino cōpareat, atq; exceptiones siue dilatorias, siue declinatorias, siue quascunq; alias, quæ ante litis contestationem consueuerunt, debentq; opponi, abijciat; præscribatur terminus Actori ad tertiam ad replicandum. Post hęc vtrique parti quinq; dies assignentur ad probandum incumbentia circa exceptiones, & replicationes. Quo termino elapso super dictis exceptionibus, & replicationibus pars nullatenus audiatur: sed intra triduum processus Iudici à partibus tradatur. Qui ad sex dies, si potest, super exceptiones pronunciet. Quòd si ea altiorem requirant indaginem, possit Iudex suo arbitratu exceptiones in fine litis reseruare. Et propterea Iudice super ipsis non pronunciante, eadem in fine litis reseruata censeantur. Ad hæc si Iudex quoquo pacto ad vlteriora procedat, tametsi exceptiones fuerint peremptoriæ, lis attamen contestata intelligatur.

Illis itaq; terminis iam elapsis alter communis terminus tri-

G 2 ginta

ginta dierum vtilium ad probandum, deducendum, allegandum, & faciendum omne, & quicquid in probationum genere volunt, & possunt prescribatur. Qui terminus ex causa semel tantum ad quindecim dies vtiles prorogari possit. Vbi vero hic terminus iam prateriit alter post processus publicationem assignari valeat, sed decem vtilium dierum ad reprobandum testes, vel ad arguendam processus nullitatem, prout de Iure; uel ad aliquid de nouo afferendum, quod post lapsum dicti temporis communis cōtigerit, & merita mota litis concernat. Tandem post illius temporis decursionem, communis alius terminus quinque dierū utiliū ad producendum Iura, & concludendum in causa constituatur.

De modo procedendi in Causis minoribus. Cap. IIII.

IN causis autem, qua dictam septuaginta librarum summam non excedunt procedatur per uiam Monitorij cum termino trium dierum ad satisfaciendum, seu parendum secundum stilum consuetum.

Si in termino Reus compareat, negetq; monitorium: Actor sex dierum currentium terminum habeat ad probandum. Quo tempore possit, si uelit, articulos dare, testes, & instrumenta producere. Postmodum Reo etiam alij sex dies competant ad dicendum contra Iura producta: ad afferendum exceptiones, articulos & testes, aliaq; omnia, quæ ad rem facere existimauerit, producendum. Quæ res locum habere intelligatur, quando testes in Ciuitate Sint. Nam si extra illā in Diœcesi fuerint, Iudex arbitrando terminum prædictū prout censuerit expedire prorogare possit.

Terminus deinde sex dierum similium vtriq; parti præscribatur ad probandum, & probatum habendum per omne genus probationis sub pœna repulsionis. (Id quod seruetur etiam in Causis Decimarum, ac sequestrationum, quæ fierent virtute Iurium exequibilium: quæ non possint reuocari. Aliç autem sequestrationes, quę à Iure alias exequibili non procederent, ad petitionē partis reuocari valeant. Deinde uero in illis procedatur prout in Causis monitorij vt supra.)

Transacto autem eo termino Iudex acta sibi exiberi iubeat: Quæ exibere intra quatriduum partes teneantur. Iudex vero ab actorum receptione intra octo dierum spatium, si possit, pronunciet,

nunciet, Monitorium aut confirmandum, aut infirmandum esse, partemq; vt sibi videbitur, condemnet, uel ob expensis absoluat.

Sed in Causis longe minoribus, quæ scilicet non excedunt summam, uel pretium viginti librarum, possit Iudex procedere summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, & extraiudicialiter quoq; si sibi videbitur expedire; nec non & executiue possit Iudex executionem in bonis committere contra debitorem, ita vt grauetur etiam per Iudicem secularem vsq; ad plenam, atq; integram summæ satisfactionem.

Inter summarias referantur causæ mercedum, salarij diurni, medicinarum, ceræ pro funere datæ, annuorum canonum, annuarumq; præstationum, & id genus aliæ. In quibus summatim, sine strepitu, & figura iudicij postbabita quauis querela, & appellatione procedatur.

De modo procedendi in Causis habentibus executionem paratam. Cap. V.

IN causis quoq; Iurium habentium executionem paratã per viam Monitorij similiter procedatur: duæq; tantum exceptiones solutionis, & nullitatis admittantur.

Reo igitur opponenti exceptionem solutionis sex tantum dierum terminus ad eam probandum præscribatur. Et, si Iudex ita existimauerit, eidem petenti, atq; instanti quatuor etiam dierum dilatio concedatur.

His elapsis Actor, si petat, habeat trium dierum terminum ad dicendum contra Iura producta. Demumq; arbitrio Iudicis terminus vtrique parti præscribatur ad producendum, & allegandum.

Post lapsum horum terminorum nulla pars audiatur. Sed Notarius intra biduum, vbi congrua sibi merces soluta est, acta Iudici exibeat; qui vt supra iudicare teneatur.

Quod si reus opponat exceptionem nullitatis, vtpote qui dicat contractum esse vsurarium, & simulatum: habeat terminũ duorum dierum ad summatim informandum Iudicem de Contractus simulatione, vel vsuris, non tamen per illud ipsum instrumentũ, sed alio quouis modo per coniecturas, & signa. Ex quibus si Iudex videat, aut conijciat verisimilem aliquam præsumptionem subesse, quod à Reo appositũ probari possint: monitorium resoluat.

uat.

nat, iubeatq; procedi ordinarie ad formulam causarum maior. vel minorum iam præscriptam, prout Instrumenti summa maior, uel minor erit septuaginta libris.

De diebus vtilibus. Cap. VI.

VT scrupuli ex animo euellantur, cum sæpenumero in huiuscemodi Constitutionibus dies tum vtiles, tum currentes nominentur: id circo in eisdem illi solum utiles intelligantur, in quibus Ius redditur: inutiles uero, & currentes, in quibus ratione feriarũ quã a Iure, quã ab homine inductarũ Ius nõ redditur.

In dubio vero, vbi hę Constitutiones solam dierum mentionẽ habent semper de currentibus intelligantur. Numerus n. vtilium vbiq; expressus est.

Vtilium autem dierum, & terminorum ad Causas pertinentium Notarius causæ calculator sit, ipsosq; diligenter computet. Qui si delinquat, arbitrio Iudicis plectatur.

De probationibus per libros. Cap. VII.

LIbris, quos Mercatores, & priuatæ etiam personæ legaliter, vt dicitur, & legitime tenent; quosq; Iudex (habita tamẽ ratione librorum, personarum, & consuetudinis Pisanæ Ciuitatis) ut tales approbauit, plena, atq; indubitata fides etiam pro ipsomet scribente tam in iudicio, quam extra iudicium habeatur. Hoc tamen casu termini seruatur, & dilationes prout in Causis excedentibus summam librarum sepsuaginta præscriptum est.

Libri autem contra scribentes plenam fidem semper faciant.

De Testibus, & Attestationibus. Cap. VIII.

VBi testes in Causis examinandi longinqui sint, & circumcirca viginti milliaria distent, Iudex, ne veritas delitescat, non obstante aliquo termino, qui eorum depositioni, aut causarum instantiæ præfixus sit, terminum prædictum, itineris ac longinquitatis ratione habita, possit, valeatq; prorogare.

Sed qui loci longinquitatem allegat, iurare compellatur, se eã calumniandi animo non allegare. Quod si contra constiterit; non

solum

solum ut periurus puniatur, verumetiam decem librarum mulcta afficiatur. Multa locis pijs applicetur.

Ne autem dubitandi locus apud Iudices relinquatur, an testes bene, legitimeue iurauerint, cum Notarij in actis aliquando nulla facta mentione de Iuramento, vt dicitur, formiter prastito, solummodo scribant Iuratus &c. Notarij actuarij in futurum, qui Testibus examinandis interfuerint, & de eorum dictis rogabuntur, non sat habeant, si dixerint Iuratus &c. Sed iuramentum, quod illi praestabunt, extendant in forma, formiterq; apud acta eius faciant mentionem. De Iuramento Testium.

Posthac igitur per verbum Iuratus &c. Iuramentum praestitum fuisse ne probetur.

Notarius autem, qui aut sine iuramento examen testium recipit, aut iuramentum apud acta in forma non extendit, aurum dependat; vel solarium illius causa, & processus omittat.

Parte demum testium longinquorum testimonia habere cupienti, & propterea Remissoriam extra Ciuitatem, & Dioecesim Pisanam petenti, Iudex tum demum concedat, cum semiplene saltem probatum esse uideat illud, cuius causa ea petitio facta est, Aliter ne concedat. De Remissorijs dandis, vel ne.

Tit. XIV.
De Sententia, & re iudicata.

ET quia contingere potest, vt uel ob locorum distantiam, uel ob aliud impedimentum partes aliquando intra tempus hisce Constitutionibus praescriptum nequeant Iura sua ostendere, ac demonstrare: ideo permissum Iudici sit (quando negotij vis, & qualitas illud exposcat, & sibi probabiliter videatur expedire) vt lata sententia reseruet parti seu partibus ius intra congruum tempus, arbitratu suo declarandum, Iura sua deducendi. Sed hoc tempus Iurium, instrumentorum, documentorum ne deducendorū tunc solum reseruare, & post latam sententiam concedere possit, quando in termino probatorio pars, qua illud petit, eu uoce deduxerit re productura suo loco, & tempore.

Qua pars, si intra illud etiam tempus semel allegata Iura reapse non deduxerit; & probabilem, ueramq; causam, quamobrē empedita probationes suas habere nequiuerit, adduxerit, possit adhuc audiri. Veruntamen in hac secunda dilatione satisdare teneatur

neatur de reficiendis expensis, damnisq; illatis ipsi parti ob cã-lumniosam termini prorogationem · possieq; Iudicis arbitrio etiã acrius puniri. Qui insuper, vbi suspicetur quippiam ad protelandum calumniose deduci, ualeat suo arbitratu deducentem mulctare, nisi exceptionem suam semiplene saltem probauerit.

Post huc Iura allegata (non ex alia causa) qualiacunq; intra dictum tempus producta sint, possit sententia retractari, & reuocari, ac contra partem aduersam pronunciari perinde ac si super huiusmodi negotio nulla fuisset sententia lata.

Quamuis autem, pendentibus eiusmodi terminis, sententiarũ executiones nulla ratione impediri debeant: nihilominus pars, quæ executionem petit, sufficienter in forma depositi satisdato debeat ad declarationem Iudicis stare Iuri, & iudicatum soluere; si sententiam retractari, & nullam esse declarari contingat.

Non est ferendus abusus, pœnaq; quorundam Iudicum consuetudo, qui vt causæ in longum protrahantur, contra Canonum, & sacrarum legum dispositionem sententias absq; vlla causa ferunt prout in Cedula; easq; publicare, atq. aperire paruiducunt. Eamq; ob rem Ordinarius, qui alijs exemplo esse debet, semper à principio sententias publicet, nec vnquam prout in Cedula ferat. Si contra ac præscriptum est aliquando fiat, Notarium, qui de ea rogabitur, eo ipso duorum aureorum pœnam subijsse decernitur.

Delegati autem Iudices, qui sententiam prout in Cedula protulerint, (id quod ex sola vrgenti causa fiat) Cedulã intra quindecim dies aperiant, publicentq;. Secus omnis illa delegatu Iurisdictio expirasse intelligatur: Ipsiq; sportulas ne lucrentur. Quas si Notarius Actuarius illis tradat, suo periculo tradat.

Quando Assessores eligendi sint, de quorum consilio sententiæ proferantur eo quòd Iudices suspecti habeantur, & suspicionis causa legitime probentur: ijdem Iudices sub pœna suspensionis à Iurisdictione Assessoribus, uel Consultoribus terminum ad Consilium, & vt dicitur, ad rapportum mittendum in causis quidem breuioribus vnius mensis, in longioribus autem, & maioribus duorum mensium à die transmissi processus præfigant. Quod sane tempus (si Iudices ita censuerint expedire) semel tantũ prorogari possit ad mensem in minoribus, in maioribus vero ad duos mẽses. Assessoribus intra statutum tempus suum votũ non proferentibus in eorum locum alij deligantur. Illi autem receptas sportulas restituant;

stituant; aut ab Ordinario restituere compellantur.

Hæredes Notariorum Iudicum delegatorum ad mensem à die mortis Notarij actuarij dent, & reipsa tradant, consignentq; Curię Archiepiscopali ad perpetuam rerum memoriã ibidem mansura acta omnia iudiciaria Ecclesiastica, nec non citationes, commissiones, mandata, præcepta, inhibitiones, sequestrationes, censuras, cunctaq; tãdem, quæ actarum nomine cõprehenduntur. Exceptis ijs, quæ ex lege Archiuij Florentini eò erunt transmittẽda.

Vtilitas autem, quæ ex eorundem actorũ vel collationũ exemplis, seu vocatis copijs percipietur, ad formulam eiusdem Archiuij Florentini pro rata parte inter ipsos hæredes, Notarios, & scribas diuidatur.

Hoc sane decretum non solum hęredes Actuariorum vita functorum, & eorum qui in posterum decedent afficiat; sed quascunq; etiam personas quæ eorundem Notariorum acta penes se habeãt, ac retineant. Contra inobedientes Ordinarius pœnis, & censuris suo arbitratu agat.

Tit. XV.
De Appellationibus.

Post decem dies ad appellandum Iure datos ne quis ad appellationem admittatur. Interposita autem appellatione vel ad Sedem Apostolicam, vel ad Illustrissimum & Reuerendissimum eiusdem Apostolicæ Sedis Nuntium apud Serenissimum Magnum Etruriæ Ducem: Iudex à quo terminum appellanti pręscribat vnius mensis si ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Nuncium: duorum vero mensium si ad Apostolicam Sedem prouocatum sit, ad prosequendam appellationem; & ad faciendam fidem de commissione causæ, & de rescriptis pręsentatione Iudici facta. Quæ si ab appellante intra illud tempus nõ præstentur, appellatio eo ipso deserta, & sententia in rem iudicatam transiisse censeatur.

Verum ad tollendas improborum calumnias, qui vt solutiones in longum protrahant sæpe vanas proponunt appellationes, statutum est, vt in posterum hæc accurate, & inuiolabiliter ab omnibus obseruentur.

Iudex igitur nõ admittat appellationes, nisi eas, quæ de Iure ex forma Sacrorũ Canonum, & Concilij Tridentini sunt admittẽdæ;

Appellant (si appellatio admissa sit, vel non, & quomodocunq; appellatum sit) teneatur in recursu pro commissione obtinenda à Sanctissimo D. N. Papa, seu ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Nuncio Florentiæ preces, & supplicationes afferre veritatem causæ expresse continentes.

In narratiua autem precum & supplicationũ hæc ponantur.

Coram quo Iudice causa fuit: inter quos actores, & inter quos reos: super qua re specifice: & quæ sententia lata sit: & appellatio an sit admissa vel non: & an sit appellatum intra decem dies à die notificationis sententiæ: & semper ponatur à quo nam actu appelletur; an ab executione; an à citatione, seu præcepto; an à sententia; an ab aliqua pronuntio, seu interlocutoria: & quæ pronuntia, & interlocutoria sit exprimatur. Si appellans secus fecerit, & preces, & supplicationes non vt supra dictum est porrexerit, vltra pœnam decem aureorum arbitrio Ordinarij applicandam, causam perdat, & certum sit sententiam transitum fecisse in rem iudicatam. Tunc .n. quilibet Iudex commissiones appellationũ non ut supra factarum non acceptet. Quòd si eas acceptauerit, statim, idest saltem infra decem dies vtiles à die exibitionis actorum, visa quod non vt supra dictum est facta sit supplicatio, causam remittat Iudici à quo. Alioquin à munere iudicandi per annum ipso facto sit suspensus. Notarius autem, seu is, qui supplicationes non vt supra dictum est præsentauerit, seu conscripserit, vltra pœnam viginti aureorum pro qualibet vice Hospitali Orphanorum huius ciuitatis hac constitutione applicatam, in causis coram Iudicibus Ecclesiasticis in quacunq; instantia nec Actuarij, nec Procuratoris officium exercere possit. Et in causis appellationum semper succumbens iterum in secundo, vel ulteriori instantia in expensis condemnetur; nisi aliter ex urgentissima causa fieri debeat. Et ne de hac Constitutione aliqua prætendi possit ignorantia, præter præsentem publicationem, eiusdem copia affigatur in Vsculo Notariorum huius Ciuitatis.

Præsentato autem rescripto detur appellanti terminus trium dierum ad libellandum: & deinceps seruentur omnes termini respectiue secundum qualitatem causarũ, qui seruari debent in prima instantia. Ita vt Iudici, & parti eodem modo, quo in illa, termini præfixi censeantur. Nisi partes illis omnibus, vel aliquibus duxerint renunciandum esse.

Ne

Ne vero partibus adimatur occasio concordandi, pendente inter litizatores compromisso, tempore tam primæ instantiæ, quam appellationis ne currant.

Supradicta autem omnia, & singula, etiam quo ad terminos, & dilationes, quæ in causis ordinariis, & coram Ordinario ventilandis semper obseruanda sunt; seruentur quoq; in omnibus causis quocunq; modo, etiam ab Apostolica Sede, delegatis.

Tit. XVI.
De Executionibus.

ET quoniam eo, quæ ad Ecclesiasticum forum pertinent, ab Ecclesiastico Iudice, prout Sacris Canonibus cautum esse noscitur, geri, ac pertractari debent: idcirco sententiarum executio cum Ordinario permissa sit, omnia etiam eidem permissa fuerint necesse est, sine quibus omnis eius vilesceret Iurisdictio. Quod maxime fieri videretur, nisi quæ iusserit ac decreuerit, exequi etiã posset. Quando igitur ad sui defensionem licet Episcopo arma sumere, sacrisq; Inquisitoribus permissum esse constat pro fidei, atq; Ecclesiæ defensione aduersus hæreticos, satellites habere armatos: habeat Ordinarius ad Iustitiam exequendam, & ad Ecclesiasticam Iurisdictionem sartam tectam conseruandam, familiam, & satellites, quorum ope sententiarum omnium in Archiepiscopali curia latarum facere possit executiones. Quæ res in criminalibus causis, vbi de pœna sanguinis foret agendum, locũ haud habere intelligatur. Tunc n. brachium impleretur sæculare.

Tit. XVII.
De Depositario.

PIgnora autem, quæ in huiusmodi executionibus peragendis capientur, apud Depositarium ab eodem Ordinario eligengendum deponantur.

Depositarius hac ipsa pignora secundum stylum, & consuetudinem Curiæ sæcularis diligenter custodiat: omniaq; de Iure seruanda seruet pro eorundem securitate, & vt Ecclesiastica Curia salua sit. Qui propterea ex more Curiæ Domini Commissarij Pisanæ Ciuitatis idoneam præstet cautionem.

Tit. XVIII.
De Commodato.

COmmodatarius pro rebus Ecclesiæ sacris cõmodatis amissis de leuissima etiam culpa, & fortuito euentu teneatur.

Ecclesiarum Rectores, qui vasa, vestes, Cruces, aliaue sacra Ecclesiarum supellectilia commodauerint, aut pignarati fuerint, ad ea statim redimenda vel per fructuum subtractionem, vel per excommunicationem compellantur.

Commodatarij autem, & creditores, qui sine Ordinarij permissu illa pignorum loco acceperint, tametsi aliter sibi non satisfiat, ad eadem nihilominus restituenda cogantur, atq; Ecclesiasticis pœnis, & censures adigantur.

Tit. XIX.
De Deposito.

AD fraudes, & consuetas cauillationes nonnullorum tollendas, qui bona Ecclesiastica, vel ad liuellum, vt vulgo dicitur, seu ad affictum perpetuum, vel in emphiteusim, in feudum, vel alio quouis titulo conduxerunt; volunt tamen debitam satisfactionem, & solutionem annui canonis, seu liuelli, vel affictus fugere, aut differre: sed cum timeant ne ob id bona conducta incidant in commissum, atq; ad Ius, & proprietatem Ecclesiarum reuertantur, canonem, seu liuellum, aut affictum huiuscemodi deponunt; atq; huiusce depositi prætextu reuersionem prædictam aufugere prætendunt. Ideo statutum est:

Ne talia deposita conductoribus aliquo modo suffragentur, nisi ita libera, & pura sint, vt Depositarius semper ad quamcunq; voluntatem creditoris eadem soluere, & consignare possit, ac debeat. atq; etiam fiant postquam locator, vel eius legitimus Procurator, canones, affictus, seu liuellas à conductore, & debitore ipsa oblatas, eoq; deductas, vbi soluendi erant, recipere recusauit. Hoc .n. casu Deposita in tempore facta ad caducitatem euitandã pro plenaria satisfactione, & solutione habeantur. Ita tamen vt factum Depositũ Creditori, si absens est, inueniriq; potest intimetur: sin minus intimatio domum eius habitationis mittatur.

aut

aut ad illius Ecclesiæ valuas affigatur, cuius causa illi canones, vel affictus eidem creditori soluendi sunt. Hoc n. modo, nec aliter conductor liberetur.

Ad mora purgationem, nisi fiat intra quadraginta quinq; dies à declaratione facta, prout hactenus obseruatum est, ne quis admittatur. Purgatio moræ.

Tit. XX.
De Locato, & Conducto.

Domus ad Ecclesias, beneficiaue Ecclesiastica, aut ad Religiosa quæuis loca pertinẽtes, Iudæis pro vsuris exercẽdis, aut meretricibus, mulieribusue inhoneste viuentibus ne locentur.

Locantibus vigintiquinq; librarum multa irrogata sit. Nisi forsitan domus huiusmodi in lupanari, aut ganeo, aliaue loco, vbi meretrices solum inhabitare consueuerunt, sitæ sint.

Domum, quam dicunt canonicalem Ordinario non concedente ne quis ablocare audeat. Locator annuæ locationis pretiũ amittat.

Quamuis autem Ecclesiasticæ personæ laicorum statutis non subijciantur: attamen ne qui alijs omnibus mitiores esse debent, seueriores quam laici videantur; decernitur ut in futurum ab Ecclesiasticis locatoribus, siue patrimonium, siue Ecclesiastica bona ablocauerint, uetationes conductoribus eo modo fiant, quo communiter ab alijs fieri solent.

Tit. XXI.
De Synodo Diœcesana, & Visitatione facienda.

AD Synodum Diœcesanam quotannis ex Decreto Concilij Tridentini celebrandam tum, cum Illustrissimus, & Reuerendissimus Archiepiscopus magis esse opportunum censuerit, omnes illi conueniant, qui illius auctoritate conuocabuntur. Sess. 24. c. 2. de Reform.

Qui absq; causa Ordinario probanda in eam conuenire neglexerint, quiq; inde ante veniam datam discesserint, aureum eo ipso dependant; & sex menses ab officiorum suorum executione ab eodem Ordinario suspendantur.

In Visitatione Diœcesis ad præscriptum eiusdem Concilij Tridentini ab eodem Illustrissimo eiusue Vicario peragenda omnes, qui, ad id vacati, illum comitabuntur, distributiones quotidianas perinde ac si præsentes fuerint, diuinisq; interfuerint, lucrentur. Sess. 24. c. 3. de Ref.

A vi-

Pæne. Dlldd. *A visitatis, præter victualia, ne quid insuper accipiatur.*

Sumptus autem, & impensæ, quæ tunc temporis in victualia fient, inter eosdem visitatos diuidantur.

Notarius tandem ea omnia, quæ in Visitatione acta fuerint, & gesta, referat in librum ad eiusmodi vsum constitutum.

Tit. XXII.
De Multarum applicatione.

Sicut maxima illecebra peccandi est impunitatis spes; ita pœna eximia vis est, vt pleriq; in officio contineantur. Quippe
„ Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Hanc igitur ob rem ad tollendos abusus, vitioq; coercendo, & ad homines in uiam reuocandos pœnæ in his Constitutionibus sæpius inflictæ sunt. Vbi uero non sunt appositæ; eas Ordinarius suo arbitratu sumat.

Pecuniariæ autem (vt hinc omnis auaritiæ suspicio amoueatur) in pios solummodo vsus arbitrio Illustrissimi uel eius D. Vicarij conuertantur,

Interim uero apud Depositarium Curiæ Archiepiscopalis deponantur. Qui hoc de causa, præstito sibi laborum mercede, librum habeat, in quo pecunias multarum nomine apud se depositas, fideliter describat.

Quotannis autem post diem Natiu. D. N. Iesu Christi in Festo S. Stephani Protomartyris Reuerendissimus Archiepiscopus vocatis duobus de Capitulo, qui distributioni faciendæ intersint, si ita sibi videbitur, eas distribuat.

Tit. XXIII.
De Derogatione antiquarum Constitutionum.

Et nec Ius, quod omnibus valde innotescere debet, in incerto vagetur; hoc decreto statuitur: Antiquas Constitutiones, stylos, & consuetudines, quæ parte præsentibus Constitutionibus aduersantur, à die publicationis, & confirmationis harundem censeri sublatas, prout nunc illæ tolluntur, & omni robore exuuntur.

Has vero præsentes in posterum omnes ligent: nec cuiquam liceat contra, ac ipsæ præscribant, facere post mensem, quæ de earum

rum publicatione, & confirmatione publicum instrumentũ per Notarium Curiæ Archiepiscopalis confectum fuerit.

Quarum Originale apud Illustrissimum, & Reuerendissimum Archiepiscopum, vel eius D. Vicarium maneat. Et nihilominus, antequam imprimantur, exempla habere cupientibus, ac petentibus de facili præbeantur.

Quòdsi aliqua in parte dispositionibus Bullarum, seu Extrauagantium Summorum Pontificum, de quibus hic forsitan nulla mentio facta sit, contrariæ aliquando inuenirentur; tunc in illis tantum casibus hę nullum locum habere declarantur.

Si quando autem contingat, de sensu, & germano intellectu harundem Constitutionum dubitari: interpretatio, & declaratio sit Illustrissimi, & Reuerendissimi Archiepiscopi, vel eius Domini Vicarij. Alia interpretatio ne admittatur.

In casibus autem, in quibus per præsentes Constitutiones haud prouisum est, seruetur in Archiepiscopali curia Ius cõmune Pontificium, & Canonicum. & in subsidium Ius Ciuile Romanorũ, quod commune appellatur; non autem quod statutis municipalibus alicuius loci, uel Ciuitatis decretum sit. Nisi Clericus in suum fauorem, prout Iuris est, ijsdem statutis uti uelit. **Quid seruandũ si deficiant Constitutiones**

Tit. XXIV.
De Iudicibus delegatis.

V*T Causæ in partibus à Sede Apostolica, aut ob eius Legatis, & Nuncijs delegando Iudicibus idoneis cõmittantur, decreuit Concilium Tridentinũ, vt in Diœcesana Synodo aliquot uiri insignes, qui uel Canonici Cathedralium, uel in Ecclesiastica dignitate constituti, & ad id alioquin apti essent, deligerentur; eorumq; nomina ad Summum Romanum Pontificem trãsmitterentur. Quemadmodum igitur hæc vtiliter instituta sunt; ita etiam sunt diligenter adimplenda.* **Sess. 25. c. 10**

Iudicum itaq; in hac Synodo selectorum nomina ad Apostolicam Sedem, & ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Nuncium apud Serenissimum Magnum Etruriæ Ducem mittẽda sunt.

Adm. R. D. Adrianus Abramius I. V. D. Canonicus Pis. Protonotarius Apostolicus, & Vicarius Generalis Illustrissimi, & Reuerendissimi Archiepiscopi Pisani.

Adm.

Adm.R.D.Raphael Rancionus I.V.D. Archipresbiter.
Adm.R.D Gabriel Raù Archidiaconus I.V.D.
Adm.R.D.Iulianus Vinianus Decanus Protonotarius Apostolicus I.V.D. Vicarius Monialium.
R.D.Franciscus Sammartinus I.V.D. Canonicus.
R.D.Lactantius Gatanus I.V.D. Canonicus.
R.D.Raynerius Bocca I.V.D. Canonicus.
R.D.Petrus Rancionus I.V.D. Canonicus.
R.D.Ioannes Baptista Marradinus I.V.D. Canonicus.
R.D.Damitius Peronius I.V.D. Canonicus.
R.D.Paulus Troncius I.V.D. Canonicus, & Protonotarius Apostolicus.
R.D.Paulus Ruschius I.V.D. Canonicus.
R.D.Marius Fetus I.V.D. Canonicus.
R.D.Torquatus de Augustinis I.V.D. Canonicus.
R.D.Iulianus Bazichius I.V.D. Canonicus.
R.D.Hieronymus de Banannis Prior S.Xysti Pisarũ I.V.D.
R.Abbas S.Michaelis in Burgo Pisarum pro tempore existens cum consilio Assessoris.

Tit. XXV.
De Examinatoribus.

Sess.24.c.18 *Examinatores in hac Synoda propositi, & ad praescriptum eiusdem Concilij Tridentini ab eadem approbati.*
Adm.R.D.Adrianus Abramius Canonicus Pis. Protonotarius Apostolicus, & Vicarius Generalis Illustrissimi, & Reverendissimi Archiepiscopi Pisarum I.V.D.
Adm.R.D.Raphael Roncionus Archipresbiter I.V.D.
Adm R.D.Gabriel Raù Archidiaconus I.V.D.
Adm.R.D.Iulianus Vinianus Decanus, & Protonotarius Apostolicus I.V.D. Vicarius Monialium.
R.D Franciscus Sammartinus Canonicus I.V.D.
R.D.Lactantius Gatanus Canonicus I.V.D.
R.D.Cursius Cintoletta Canonicus Sacra Theolog. Doctor.
R.D.Andreas Bellauita Canonicus Sacrę Theolog. Doctor.
R.D.Raynerius Bacca Canonicus I.V.D.
R.D.Petrus Roncionus Canonicus I.V.D.

R.D.

R.D.Ioannes Baptista Marradinus Canonicus I.V.D.
R.D.Paulus Troncius Protonotarius Apostolicus, & Canonicus I.V.D.
R.D.Paulus Ruschius Canonicus I.V.D.
R.D.Marius Feius Canonicus I.V.D.
R.Pater Magister Angelus de Gottardis Inquisitor.
R.Pater Magister Albertus Campanius Ordinis Prædicatorum Prior S. Catharinæ.
R.Pater D.Pomponius Tartaglius Præpositus S.Frigdiani.
R. Pater D. Alexius Scatus Clericus Congregationis S. Pauli.

Tit. XXVI.
De Testibus Synodalibus.

CVm Synodi Diœcesanæ ob eam causam potissimum conuocentur, vt Præsul tanquam in specula, quadam collocatus singulas Diœcesis partes circumspiciens aliquam ineat rationem de communienda Ecclesiastica disciplina, ac de ijs decernendis, quæ ad spiritualem sue Diœcesis progressum pertinere videntur. Idcirco Canonum Iure cautum est, vt plures Ecclesiastici, ac bene morati viri ætate, prudentia, & pietate graues Testes Synodales constituantur. qui in regione sibi commissa pro Dei gloria, & animarum salute perscrutari, & inuestigare conitantur si quid sit, quod correctione, emendatione, aut reformatione dignum videatur: Quod verò sagaciter peruestigarunt, quodue corrigi, vel reformari oportere putant, illud totum ad Illustrissimum, ac Reuerendissimum Antistitem, vel ad futuram Synodum referant. e Episcopus. 35 4.6

Ergo ad tam pium, atq; religiosum munus delecti sunt.

R.D.Iulius Cerrinus Canonicus.
R.D.Petrus Casaperius Cononicus, & Protonot. Appostolic.
Venerabilis D.Vlysses de Grossis Plebanus Liburni I.V.D.
Venerabilis Presb. Cæsar de Tripallis Plebanus Sanctæ Lucis.
Venerabilis D.Ioannes Paulus de Vpezzinghis Præpositus Pontis Eræ I.V.D.
Venerabilis Presb. Benedictus Titius Plebanus Cascinæ.
Venerabilis D. Flaminius Guerrazzius Plebanus Butrij Sacræ Theologiæ D.
Venerabilis Presb. Iacobus Saffellius Præpositus Septimi.

Venerabilis Presb. Octauius de Artiminis Plebanus Calicis.
Venerabilis Presb. Petrus Felix de Nellis Plebanus Pilestuli.
Venerabilis Presb. Alexander de Pandolphinis Plebanus Vecchiani.

Tit. XXVII.
De Pœnitentiarijs Metropolitanæ Ecclesiæ.

Pœnitentiarij, & à confessionibus.

R.D. Marius Feius Canonicus Pœnitentiarius I.V.D.
Adm. R.D. Gabriel Raù Archidiaconus I.V.D.
Adm. R.D. Iulianus Viuianus Decanus I.V.D. & Proton. Apostolicus Vicarius Monialium.
R.D. Lactantius Catanius Canonicus I.V.D.
R.D. Curtius Cintoletta Canonicus Sacræ Theologiæ D.
R.D. Andreas Bellauita Canonicus Sacræ Theologiæ D.
R.D. Paulus Tronarus Canonicus I.V.D. & Proton. Apost.

Tit. XXVIII.
De Deputatis super Seminarium.

Sess. 23. c. 18 de Ref. *Deputati super Seminario ad formulam Concilij Tridentini.*
Adm. R.D. Raphael Roncionus Archipresbiter I.V.D.
Adm. R.D. Gabriel Raù Arcidiaconus I.V.D.
R.D. Raynerius Bocca Canonicus I.V.D.

Camerarius.

Venerabilis Presb. Guglielmus Battaglinus Cappellanus.

Ibidem. Alij electi per Illustrissimum, ac Reuerendissimum D. Archiepiscopum secundum formam eiusdem Concilij Trid. super negocijs Seminarij.

R.D. Curtius Cintoletta Canonicus Sacræ Theologiæ D.
Venerabilis D. Hieronymus Bonannius Prior S. Xysti I.V.D. vnus de Clero Ciuitatis.
R.D. Petrus Roncionus Canonic. I.V.D. à Capitulo electus.
Venerabilis D. Antonius de Confortis Sacræ Theologiæ D. Cappellanus, & de Clero Ciuitatis à Clero electus.

Qua

Quæ ſane omnia, & ſingula Decreta huncin librum relata, & à me publice in Eccleſia Metropolitana Piſana coram Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Domino Franciſco Bonciano Archiepiſcopo, dum ibidem Synodum Diœceſanam haberet die XI. & XII. præſentis menſis Nouemb. perlecta, cunctis ſuffragijs recepta, & per verbum PLACET ab vniuerſo cœtu fuerunt approbata: ipſeq; vnà rogatus (cum eidem Synodo fuerim à ſecretis) vt ea ipſa in acta publica redigerem; præſentibus, & ad hoc vocatis Venerabilibus Presbiteris Luca Vinea Florentino, Procuratore generali eiuſdem Illuſtriſsimi, ac Reuerendiſsimi Archiepiſcopi, & Factore de Factoribus de Caſtro Nouo Carfagnanæ dicti Illuſtriſsimi Domini Cappellano, alijſq; teſtibus quamplurimis. Anno Dominicæ Incarnationis M. DC.XV. Stylo Romanæ Curiæ, & Florentino; more autem Piſano M.DC.XVI. Indictione XIIII. Die vero XII. Nouemb. Sanctiſsimo Domino noſtro Paulo diuina prouidētia Papa V. & Sereniſsimo COSMO II. Magno Etruriæ Duce IV. Dominante. Quamobrem

Ego Andreas Fellonius Piſanæ Curiæ Archiepiſcopalis Cancellarius, & Synodi Secretarius demandato in teſtimonium illa ipſa ſubſcripſi.

INDEX TITVLORVM.

De

FINIS.

Optatus [illegible] lib. 1 con. [illegible] in c. [illegible] Roma congregato [illegible]
[illegible] decretorum [illegible] Centuria [illegible]

[illegible]orius VII anno 1079 [illegible] Landulpho ep. Pisano confirmans [illegible]
[illegible] concessa et alia adjiciens in insula Corsica [illegible] in eius Reg. [illegible]
[illegible]

[illegible] [illegible] adfuit in expeditione Hierosolymitana tpre Godofredi ut ait [illegible] [illegible] Tyrensis lib vj cap 56. Idem dicit [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Patriarcham Hierosolymitanum lib vij cap 6, et cap 7 ait quod idem accusatus de proditione sacrilegio et aliis criminibus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ponitur ab officio; et Regis Balduini interveniente cum multam pecuniam [illegible] [illegible] in gradu suo permansit. lib [illegible] cap 49 eundem in concilio multorum [illegible] coram legato [illegible] diversis criminibus accusatus et convictus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] lib 9 cap 17 Sed [illegible] cap 34 dicit [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] historiam [illegible] [illegible] summarie [illegible] cap [illegible]

[illegible] quadam [illegible] [illegible] quae videtur in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] habetur [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Z 65 — 4

